rum clamore, etiam cùm quiſpiam ex ipſis moritur, quem non etiam dicere mortuum ſoleant, ſed conſummatum. Ait Euthymius per *tabernacula juſtorum* propheticè prædicta Eremitarum tuguria, in quibus Davidis pſalmi præcipue decantantur; vel varias, ac particulares, quæ per Orbem ſunt, Eccleſias.

Vox exultationis, & ſalutis.) Supplens Euthymius; & Nicephorus ἀπὸ κοινοῦ verbum præcedens ἐγένετο, ideſt, factus eſt mihi Dominus vox exultationis, & ſalutis, ſive cauſſa vocis exultationis, & vocis ſalutis, quæ canitur *in tabernaculis juſtorum*, quum ob admirabiliter mihi præſtitam ſalutem impulſus ſim, ut exultationem, & ſalutem illam laudarem, quam mihi tribuit: vel impulſus ſum ad laudandum eum in exultatione, & ſalute, ut laudari ſolet *in tabernaculis juſtorum*, & ubi laudare eum volo; atque *confiter illi in conſilio juſtorum, & congregatione*, a *& in Eccleſiis benedicere.* b Inſinuat quoque ſingulari numero vox juſtis ea in re concordem, conſtantem, poſtremo unam vocem eſſe. Pro *exultatione* laudem vertit. Hieronymus; alia Pſalteria, & Patres *lætitiam*. Hebræum nomen eſt רנה *rinnah*, ſignificans quoque *jubilationem*, ut aliàs notavimus. Chaldæus tranſtulit תשבחתא *thuſbachtha glorificans glorificationem.*

a pſal. 110. 1
b pſ. 25. 12

In tabernaculis juſtorum.) De varia notione *tabernaculorum* dictum aliàs pro conſcientia, pro corpore, pro cœtu, ſeu congregatione, & Eccleſia, pro cœlo, præter litteralem, & phyſicam ſignificationem.

Verſ. 16.) Dextera Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem.

Senſus loci.

VOx hæc eſt exultationis, & ſalutis, hoc epinicium, ſeu victoriale, ac triumphale carmen reſonans *in tabernaculis juſtorum*, quod ſalus, quam conſequutus eſt, fuerit opus potentis dexteræ Dei, nec non exaltatio ad promiſſam regiam dignitatem. Communi autem admodum conſenſu de Chriſto exponitur, in cujus David perſona loquatur; quemque Petrus *dextera Dei exaltatum* pro concione dixit; c iterumque apud Principem Sacerdotum, & in concilio; d Paulus e etiam *conſtitutum ad dexteram in cœleſtibus.* C Quia vero Chriſtus ipſe dextera Dei per attributionem dicitur, ſicut Spiritus ſanctus digitus, poſſet is hìc loquens intelligi, ut homo de ſeipſo, quatenus eſt Deus, Deique Filius. Vel juxta myſticum quoque ſenſum populus Dei, ſeu Eccleſia, & quilibet juſtus ex tentatione, tribulatione, perſecutione liberatus, exaltatus, deificatus, de infirmitate perfectionem adeptus, de ſubjectione gloriam, de paſſione victoriam, eo modo loquitur, ac præ lætitia, cumque piiſſima confeſſione, ut Auguſt. ait, repetit idem, & inculcat. Qua ſimul in re Trinitatis myſteriũ notavit Euthymius, & Genebrardus. Utitur Eccleſia libenter hoc verſu, nec ſemel tantum, cum ſequenti; tum vero in Miſſa Cœnæ Domini ad offertorium. Similis alius ex Cantico Moyſis f *Dextera tua Domine percuſſit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti inimicos tuos.* Athanaſius g diſputans cũ Ario concedente hìc *dexteram Dei* de Filio dici, colligit eſſe conſubſtantialem Patri, quemadmodum conſubſtantialis eſt dextera ejus, cujus eſt. Ambroſius h inter encomia manus, cum ceteris membris humani corporis ponit, quod ejus vocabulo non dedignatus eſt ſe Dei Filius hoc loco declarari per Davidem. Cauſſam vero appellationis aſſignat, D i quia per eum omnia opera divina perfecta ſunt. Hinc præterea percipitur, quanta ſit gratiæ divinæ neceſſitas, & efficacia potiſſimum in juſtificatione, doniſque pertinentibus ad illam, quæ uno verbo cognominari poteſt *mutatio dexteræ Excelſi* k cujus tanti operis cauſſa meritoria præcipua Chriſtus eſt, ut homo, & efficiens cauſſa principalis idemmet ut Deus. Ipſe *dat protectionem ſalutis, & dextera ipſius ſuſcipit nos*, l & quidem ſi dici fas eſt, triplicata, vel quæ ſit longior quam ſiniſtra, hoc eſt, ſæpius, libentius, largius à Deo exercitata miſericordia, quam juſtitia. Artaxerxes, qui Longimanus cognominatus eſt, quod alteram manum haberet longiorem, dicebat magis regium eſſe addere quam detrahere. m Utra longior manus eſſet, nec ſcimus, nec refert ſcire. Si qua major Deo manus, profecto liberalitatis, miſericordiæque, ut dixi, quam juſtitiæ: & ut promptior, efficaciorque, ac validior ad opus dextra; ſic Deus in miſerando facilior, & ratio potentiæ in eo ſpectare magis eniteſcit. Trina repetitio *dexteræ* innuit effecta totidem omnipotentis miſericordiæ Dei erga hominem, cui peccata condonat; quem divina filiatione, & beatitu-

c Act. 2. 33
d cap. 5. 31
e Epheſ. 1. 20
Senſus myſticus.
f Exod. 15. 6
g diſputat. cum Ario in Concilio Niceno Filium Patri conſubſtantialem eſſe colligitur
h 6. hexa. c. 9 & in pſ. 118 oction. 22
Filius Dei quare dextera Dei dicatur.
i lib. de Filii Dei divinit. & conſubſt. cap. 6
k pſ. 76. 11
l pſal. 17. 36
Miſericordia à Deo ſæpius & libentius exercetur, quam juſtitia
m Plutar. b. in Apopht.
Trina dexteræ repetitio quid hìc innuat.

Adinis jure exaltat: cujus imbecillitatem in adverſis, tentationibuſque corroborat; quod Auguſtinus eleganter, breviterque declarat. Item *dextera Domini fecit virtutem* in Chriſto, inquit Dionyſius Carthuſianus, conſervando illum, & edendo mirabilia in Sole, Luna, Terra, Templo, liquore duplici ex mortui latere profluente, in ipſo reſuſcitando, & in aliis. *Exaltavit eum* in aſcenſione atque in nominis ejus exaltatione poſt Pentecoſten, per miracula, & prædicationem: iterum *fecit virtutem*, hanc ipſam miraculorum, & gratiarum gratis datarum. Hugo præter dicta, dictiſve ſimilia, dexteræ trinam repetitionem opponit contentis verſu 13. impulſioni, everſioni, caſui, ut ſit dextera retinens, ſuſtinens, ſublevans. Item ut *dextera fecerit virtutem*, ideſt, miſericordiam, non percutiendo reum, expectandoque ad pœnitentiam *exaltaverit* de luto, ac fæcibus peccatorum, & elevando ad ſtatum gratiæ: iterum *fecerit virtutem*, conſervando in eodem ſtatu, & liberando ab inſultu tentationum. Ad hæc, ut Chriſtus, qui eſt dextera Patris, *fecerit virtutem* per patientiam Martyrum, devincens tyrannos: *exaltaverit* Eccleſiam, ſubjiciens ei, ac fidei B tyrannos: rurſus *virtutem fecerit* miraculorum per Apoſtolos, & alios.

Dextera Domini fecit virtutem.) Hieron., *fortitudinem*, חיל *chail*, δύναμιν. Apollinarius [illegible], non virtutem moralem, ſed potentiam, robur, victoriam, triumphum, exercitum. Et eſt participium עשה *hhoſah*, *faciens eſt*, vel *fuit*. Legerunt forſan alii עשה *hhoſah* in præterito, *facit virtutem*, ſive *fortitudinem*, qui adeo potenter ac ſtrenue agit, atque potentiam exerit tam magnificè, tantoque ſplendore, ut omnibus teſtatam faciat, cogantur omnes eam agnoſcere, & confiteri, & dicere, n *Magnificavit Dominus facere cum eis.* Eodem ſenſus dicitur quis *in Domino facere virtutem*; o & ille alium *præcingere virtute*, p *eam dare*, q *præſtare*, r *multiplicare*. ſ.

n pſ. 125. 3
o pſal. 59. 14
pſal. 107. 14
p pſ. 17. 33. 40
q pſ. 28. 11
Pſal. 67. 16
r pſal. 129. 8
ſ pſal. 137. 2

Dextera Domini exaltavit me.) Hieron.; *excelſa*, Alii, *exaltans ſed* רוממה *romemah* poteſt etiam eſſe verbum: additum eſt autem pronomen ad majorem expreſſionem. Alioqui manus excelſa, vel extenta, ſeu brachium excelſum, extentumve denotat eximiam potentiam Dei, præſertim vindicantis hoſtes ſervorum ſuorum, & iſtos, deprimendo, illos exaltantis. *Exaltare quempiam & exaltare caput ejus*, quod alius pſalmus * habet, idem valet. Apollinarius hoc ſecundum hìc poſuit.

* pſalm. 3. 4

δεξιτερὴ κεφαλὴν ἐρικυδέα θῆκεν ἐλοῦσα
Dextera caput nobile poſuit meum.

Dextera Domini fecit virtutem.) Lætitiam victoriæ, profeſſionem humilitatis, grati animi ſignificationem, demonſtrationem amoris erga Victoriæ, ac triumphi, auctorem Dominum, confirmationem in ſpe, fiduciamq; adverſus pericula ſimilia de divina ope, fortitudinem in iiſdem obeundis ſi recurrerint, præ ſe fert hujuſcemodi repetitio, præter alia, de quibus antea dixi. Gregorii XIV. Symbolum fuerunt verba iſta.

Gregorii XIV Symbolum.

Verſ. 17.) Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.

Senſus loci.

FIduciæ, ac fortitudinis oratio eſt, qua ex præteritis de futuris conjecturam faciens, promittit ſibi evaſionem periculorum, ut vita vivat, quam dicunt naturalem, non ei eripiatur violente ἀπὸ τῶν κυκλωσάντων αὐτόν, *ab iis qui circumdabat, & obſidebant eum*, ut ait Nicephorus, liberetur veluti de faucibus mortis, & ipſo ſepulchro, in quod tantum non hoſtes redegerant eum, tempuſque detur, & ocium, admiranda opera Domini, quibus ille uſus eſt in ipſo liberando, palam, publicè, ſolemni oratione narrandi, & celebrandi. *Senuit David habens ætatis plurimos dies*; t & ſub vitæ finem præcepit Salomoni ædificare templum laudibus divinis deputandum, quod ipſemet facere nequiverat. u Myſticè Chriſtus negat moriturum ſe quo putabant modo Judæi, ita ut moreretur tamquam impius, atque blaſphemus, & non reſurgeret, contra quam evenit, & poſt reſurrectionem *per dies quadraginta apparens ſuis locutuſque de regno Dei*, x narravit opera illius & *reſurgens à mortuis jam non moritur*: z ſed & fideles audientes *vocem exultationis. & ſalutis in tabernaculis juſtorum* de adventu Chriſti, fidenter dicunt, non ſe morituros, ita ut habeant in locum mortuorum, ideſt, conſtitutum mortuis antequam adveniſſet Chriſtus, ſub terra, ſed victuros, ut poſt mortem tran-

t 3. Reg. 1. 1
u Paral. 28. 9. & ſeq.
Senſus myſticus.
x Act. 1. 3
z Rom. 6. 9

ſeant ad terram viventium, & regionem vivorum, A ſuo autem poſtea tempore reſurgant. *Qui credit in Chriſtum, etiamſi mortuus fuerit, vivet & qui vivit, & credit, non morietur in æternum* a, Dicunt, præterea conſtanter fideles, Eccleſiã mori non poſſe, ac extingui perſecutionibus, ſuorumq; morte, ſed magis, magiſq; augendam, Chriſti autem, pro quo interficiuntur, gloriam, illuſtrius propagandam, & illius mirifica, opera, maximè circa martyrum paſſiones, celebranda. Adhæc ſibi perſuadent fideles, per Chriſti gratiam ſe minimè morituros ſecundùm animam, tametſi occidantur corpora, quod contingeret, ſi *eos qui occidunt illa, magis quam eum qui poteſt & corpus, & animam perdere in gehennam, timentes* b, conſtantiam perderent in fidei confeſſione. Addit Euthym. Davidem ſe immortalem futurum affirmare, quia ſua cantica canentur perpetuo, & illorum cantus nullo umquam tempore deficiet, & iis narrabuntur opera Domini. Inſiſtit potiſſimum Chryſoſt. in comprobanda reſurrectione tùm Enoch exemplo, tùm Eliæ nondum mortuorum, quoniam paris poteſtatis eſt domum quæ interiit & eſt diruta, excitare; & veterem, atque collabantem tanto tempore B conſervare. Deinde quia qui fecit quod non erat, multo magis id reſtituere poterit. Præterea, quoniam nihil impoſſibile Deo. Tandem quia ſi artifici cedimus, & credimus, etiamſi nobis opera ipſius difficilia ſint, à Domini ſapientia rationem exigere, idque quod fit, ſiqe non admittere, maximè inſcientiæ eſt.

a Joan. 11. 25. 26
b Matt. 10. 28

Non moriar, ſed vivam.) Simplex ſenſus, litteraliſque non moriturum tunc, ſed evaſurum objecta pericula, hoſtes obſidentes, impellentes, evertentes, urgentes ad caſum, interitumque.

Et narrabo opera Domini.) Nec enim *mortui laudant Dominum* c laude vocali, & externa, ut alias d docui: & *à mortuo*, ſecundùm animam, *quaſi nihil perit confeſſio* e, *neq; ſpecioſa eſt laus in ore peccatoris* f: *Confitetur vivens, vivus, & ſanus confitetur, & laudat Deum, & gloriatur in miſerationibus* g *illius.* Hac ipſa de re, deque grata narratione beneficiorum divinorum, egimus non ſemel. Id copioſius, & libentius facere poſſunt, qui ex magnis periculis emergentes, in editiorem dignitatis evecti ſunt locum. Tales olim confeſſores in Eccleſia, multa paſſi pro fidei C confeſſione, quorum Cypr. h locum in Eccleſia ſublimem vocat, & eoſdem in Eccleſia laude florentes, reſervatos autem in primis, ut ad Domini gloriã enarrarent opera Domini, per quæ ſuos, & in perſecutione protexit, & per perſecutionem velut per ignem excoxit, atque purgavit. Inter opera Domini narratione digniora, & in ejus magis laudem redundantia, redemtio ac juſtificatio eſt. Amat exempli cauſſa Paulus dici à nobis peccata ſua, inquit Auguſt. i, ut glorificetur ille, qui talem morbum ſanavit.

c Pſ. 113. 17
d ibid.
e Eccl. 17. 26
f cap. 15. 9
g cap. 17. 27
h Epiſ. 9. & Ser. de lapſis
i tract. 8. in Epiſ. Joan.

Verſ. 18.) Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me.

Senſus loci.

MOriturum ſe non eſſe argumentatur veroſimiliter, quamvis fortaſſis in alia vitæ pericula incidat, quoniam adhuc expertus ſit præſentem Dei opem in multis, graviſſimiſq; periculis, & calamitatibus, nec has Deum permiſiſſe niſi ut melior, ac prudentior fieret: perſecutoribus tantum licere voluiſſet, quantum conveniebat, D veluti miniſtris juſtitiæ, quibus quandoque paterfamilias utitur, licet alioqui nequiſſimis, ad filios corrigendos, & emendandos, egiſſe ſecum Deum ait ut hoſtem, ad interitum, ſed tamquam patrem ad eruditionem, atque purgationem. *Quos amat, arguit Deus caſtigat, flagellat, corripit, & quos recipit, ut filios, ac quaſi pater in filiis complacet* k *ſibi. Virga percuſſorum anima de inferno liberatur* l: *flagella Domini quaſi ſervi qui corripiamur ad emendationem, non ad perditionem noſtram eveniſſe, credere debemus* m: poſtremo exiſtimare *ſtatim ultiones adhiberi à Deo magni beneficii eſſe indicium, qui corripiens. in adverſis populum ſuum non dereliquit* n. Digna lectu exhortatio Baruch o, & conſolatio populi captivi.

k Prov. 3. 12
Hebr. 12. 6
Apocal. 3. 19
l Prov. 23. 14
m Judit. 8. 26
n 2. Machab. 6. 13. 16
o cap. 4

Convenit ea oratio Chriſto, in quo poſuit Deus iniquitatem omnium noſtrorum, & *ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum* p: atque *captus eſt in peccatis noſtris* q: ſtatim vero ad vitam immortalem revocatus eſt, *anima ipſius non derelicta in inferno, nec permittendo ut caro ejus ſancta videret corruptionem* r. Martyres idem uſurpare potuerunt, quorum per tormenta, mortemq; caſti-

p Eſa. 53. 5. 6
q Thren. 4. 20
r Pſ. 15. 10

gata ſunt peccata, ſi qua reſederant, & iis ad immortalitatem translatis, non perit, ſed propagata eſt Eccleſia; quemadmodum filii Iſrael *quanto magis opprimebantur, tanto magis multiplicabantur* ſ. Viſitamur (inquit Cyprianus t) & caſtigamur frequenter, & ut in nobis in Domini mandata incorrupta, & inviolata permaneant, admonemur; quod quidem nec illic apud vos ceſſare cognoſco, quo minus plurimos quoque ex vobis inſtruat ad Eccleſiæ diſciplinam divina cenſura. Scribit etiam hortando u ad profectum ex perſecutionibus, ut quum Dominus pro ſua miſericordia pacem fecerit novi, & pœne mutati ad Eccleſiam revertantur, & excipiant paſſos ſive fratres noſtri, ſive gentiles, circa omnia correctos, atque in melius reformatos: & qui admirati fuerant prius in virtutibus gloriam, nunc admirentur in moribus diſciplinam. Hæc nimirum una de potiſſimis cauſſa eſt, cur Deus caſtiget, erudiat, corripiat, quod importat etiam verbum Hebræum, & Græcum, ut dicemus. Gaudentius Brixienſis Benivolo ſcribens tres reddit cauſſas cur pietatis cultores variis interdum tribulationibus affligentur, correctionis, purgationis, probationis: propterea merito miſericordem Deum à quovis noſtrum prædicari Prophetæ iſto eloquio; *Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me*: quia nos æſtimare debemus ex eorum numero, quo per exiguas plagas breviſſimi temporis egeant ab omnibus purgati maculis ſecuriores ad æternam migrare requiem. In epiſtola quoque ad Severum prima Paulinus utitur eadem ſententia, loquens de communi ſua, & illius ægritudine, ac revaleſcentia, dicenſque quod viſitati medica Omnipotentis manu, in ſpem ſanitatis à præſenti ægritudine fovebantur, flagella invicem ſua mutuis conſolationibus mollientes.

ſ Exod. 1. 12
t ep. 11.
u epiſt. 7

Caſtigans caſtigavit me Dominus.) Vetus Pſalterium, & Auguſtinus, atque alicubi Cyprianus, *emendans emendavit me.* Hieron., *corripiens, corripuit me.* Vel apud Trevetum, Fabrum, Victorium, *arguit*, παιδεύων, ἐπαίδευσέ με. Quæ pertinent, ad doctrinam, ſive diſciplinam, ſicut & יסר יסרני *iſſor iſſeoanni.* Unde מוסר *muſar eruditio*, & *correctio*, quam dicunt Græci παιδείαν, Apollinarius ita vertit.

ἀθανάτοις δαμάσσεν φίλοις παιδεύμασι ποιμήν.
Immortalis domuit me amicis caſtigationibus Paſtor.

Rabini verbo י *iod* utuntur pro eo, quod eſt *virgis cædere*, ac *flagellare*, ut ſolent patres, & præceptores pueros.

Et morti non tradidit me.) Adverſativè ſumitur, &, pro *at. Tradere* vel *dare morti*, eſt mortis poteſtatem dare tamquam perſonæ in aliam perſonam. Quod aliis quoq; modis Latini uſurpant, *tradere ad ſupplicium, in cuſtodiam*, vel *cuſtodiæ, in priſtinum, in diſciplinam, in ſervitutem, tradere ſe in portum, quieti ſtudiis, ſub leges*, &c. Chriſtus, ac electi mortis non ſubjacent poteſtati, nec ei propriè dicuntur tradi hoc modo. Quamvis propter commune peccatum jus mors, in omne homines acquiſiverit, eique tradi cenſeantur tamquam hujus mundi moderatrici cujus *bonum judicium* Sapiens x appellat, ideſt, æquum, ac juſtum. Unde Job y, *ſcio*, inquit, *quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni viventi*, nimirum terra, in quam reſolvendi ſunt, & illi reſtituendi, reddendique.

x Eccl. 41. 3. 6
y cap. 30. 23

D *Verſ. 19.*) Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino.

Verſ. 20.) Hæc porta Domini, Juſti intrabunt in eam.

Senſus loci.

DE periculis, quæ dixit, ereptus, ac tot beneficiis, quæ attigit, affectus, & quem victorialem hymnum decantare oporteat Domino edoctus, deſiderio, ac fiducia reviſendi tabernaculi, vel templi plenus, jubet Propheta portas, ſibi aperiri civitatis Jeroſolymitanæ, quæ cognominatur *civitas juſti, urbſq; fidelis* z, & ubi juſtitia habitavit aliquando a, quam habitatores ejus ſervare docentur, ſervare debent, ſervare ſe profitentur, & per cujus peculiarem portam, quæ eſt tabernaculi (poſtea etiam templi) juſti intrant ad colendum Deum, ut idcircò etiam cognomen portæ Domini mereatur. Vel alludit ad triumphum in quo victori, ac triumphanti panduntur urbis portæ, in quemadmodum in alio pſalmo b jubentur *attolli portæ ac elevari, ut introiret Rex gloriæ.* Myſticè Eccleſiã deſignat Jeruſalem, ejuſque templum, aut etiam beatorum civitatem. Ad Eccleſiam convocati, & eam ingredientes, juſtitiam, atque ſanctitatem profitentur, licèt in ea multi eſſe poſſint numero ſolo, non merito; in cœleſtis Jeruſalem

z Eſa. 1. 26
a ibid.
b Pſ. 23. 7. 9

por-

portas gloriæ nemo niſi per arctas juſtitiæ portas ingreditur, quia quæri debet *primum regnum Dei, & juſtitia ejus* a: illuc ingreſſi, & *habitantes in illa domo Domini, in ſæcula ſæculorum laudant eum* b; *& in eo templo omnes dicunt gloriam* c; ibi *gratiarum actio, & vox laudis* d. *Habemus autem fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam, & viventem* e; idemmet *via* f, *& oſtium* g, ſive *porta. Arctam & anguſtam portam* Chriſtus appellat h, per quam intratur in regnum cœlorum; & ſimul tamen multæ dicuntur, quia multa ſunt mandata in una charitate fundata, quæ & lata eſt, ejuſq; latum mandatum, i ob amplitudinẽ, & alacritatem, & anguſta, atq; arcta propter ſummam perfectionem. Ipſemet Chriſtus vocavit ſe *oſtium* k, & de porta lateris illius vulnerati l fluxerunt ſalutis noſtræ remedia. Non eſt illa aliud, niſi *porta cœli* m; eſtq; Dominus *fortitudo revertentibus de bello ad hanc portam* n. Auctor operis imperfecti o portam aſſerit Chriſtum eſſe, tum de qua hìc agitur, tum de qua in viſione illa Jacob. Non capiunt anguſtiæ hujuſce portæ niſi unum ideſt, niſi humilem valde, & unanimem cum ceteris, unitumq; & Chriſto capiti cohærentem, qui eſt *mitis & humilis corde* p. Per portam Eccleſiæ, & illius caput Chriſtum intramus in portam Paradiſi, ut ait vel Auguſt. q, vel Emiſſenus, aliuſve, & Chriſtus ſtans in Paradiſi janua loquitur ad nos, qui ſumus in domo ipſius congregati (aut in Eccleſia, aut peculiariter in loco, & ordine religioſo) & dicit, *hæc eſt porta Domini; juſti intrabunt per eam*. Portas Apoſtolos Joannes r duodecim eſſe ſcribit, & Ambroſius ſ confirmat, cognominans *æternales* t, & portam per quam intrant in cœlos juſti, ait eſſe fidem: incredulitatem eſſe portam, per quam impii in infernum tartareũ. Reſerant iſti Paradiſi portam, Petrus præcipuè, cui aſſignatæ claves u, quem Rupertus x vocat Seraphinum, loco illius, qui flammeo armatus gladio, portæ Paradiſi arcebat ingreſſu y. Idem vero Ambroſius z admonet ingredi volentem portam cœli, ſui cordis portam aperire ſtanti ad illam Domino a, & pulſanti b: Angelos ipſos ad id nos hortari; *tollite portas* c, &c. Aperi ergo Chriſto, inquit ſanctus Doctor, portas tuas, ut ingrediatur in te; aperi portas juſtitiæ, aperi portas pudicitiæ, aperi portas fortitudinis, atq; ſcientiæ, &c. Porta tua vocis fidelis canora confeſſio eſt: porta tua oſtium verbi eſt. Plura, idem de portis æternalibus, non caducis, de elevatis, non anguſtis, per quas introire Chriſtus poſſit, & ab iis capi, nimirum ſi qualis eſt credatur, non parvulus, puſillus ſubditus, ſed in Dei forma, & omnia ſupergreſſus; qualem profitetur Eccleſia in cujus portis annunciantur omnes laudationes illius ab iis, qui *exaltantur de portis mortis* d, & inferi, ita ut *non prævaleant* e. Hieron. f unumquodq; peccatum, per quod deſcenditur ad inferos, ait eſſe portam inferorum, ut fornicationem, per quam omnes fornicatores eo deſcendunt &c. contrarias portas eſſe virtutes, ac de his hic ſermonẽ eſſe: alias appellari quoque *portas mortis* g; & ſicut poſt multas bonas, vocatur hoc loco una *porta Domini*, qui eſt ipſemet Dominus; ita poſt malas, quæ ſunt malignarũ poteſtatum, unam eſſe, quæ dicatur *mortis & inferorum*, nempe principem dœmonum. Item vocat h has portas virtutum, & ſcribit i portas quæ *aperiuntur* ab Angelis, *ut ingrediatur gens juſta* k, nullum poſſe ingredi niſi qui *de portis mortis* fuerit liberatus l, & cuſtodit juſtitiam in bonis operibus, ſervatq, ſeu amplectitur veritatem in fidei veritate, ut per bona opera, & fidem perveniat ad *pacem quæ omnem ſenſum exuperat* m. Auctor operis imperfecti n *latã portam perditionis* diabolum vocat, quia effrenatæ ſuperbiæ licentia dilatatur: Chriſtum *portam vitæ anguſtã*, quoniam humilitatis ratione collectus eſt, quippe *mitis & humilis corde* o; apud diabolum ſine lege eſſe omnia: apud Chriſtum intra regulam veritatis, & diſciplinæ. Origenes p refellens figmenta quædam Celſi de portis, docet etiam quaſdam eſſe mortis, & peccatorum, quæ ducant ad interitum: alias bonorum operum, quæ vocentur *portæ Sion, juſtitiæ, virtutis*, haſq; ſponte aperiri virtutem conſectantibus. Clemens Alex. q hinc infert Deum communiter omnes invitare, & Barnab. expoſuiſſe, quum multæ portæ ſint apertæ quæ eſt in juſtitia, eam eſſe in Chriſto, in quem beati ſunt omnes qui ſunt ingreſſi. *Regis alti* præterea *januam* canimus Mariam, *& portam lucis fulgidam*, per quã increata lux creaturæ conjuncta intravit, illam non aperiens, & clauſam relinquens, ut Ezechiel r vidit. In hac porta Ruth, & Booz juncti ſunt matrimonio ſ, ideſt Chriſtus, & Eccleſia, Verbum cum natura humana: juxta illam ſedens David accepit ſalvum eſſe exercitum ſuum,

a *Matt.6.33* · b *Pſalm.83.5* · c *Pſalm.28.9* · d 5.*Eſa.51.5* · e *Hebr.10.19* 20 · f *Joan.14.6* · Portarum acceptio varia. · g *cap.10.7.9* · h *Matt.7.13* · i *Pſ.118.96* · k *Joan.10.7.9* · l *cap.19.34* · m *Gen.28.17* · n *Eſa.28.6* · o *hom.2.& 18* · p *Matt.11.29* · q *in append. ſerm.51* · r *Apoc.21.12* · ſ *4. de Fide cap.1.& in c.3. epiſtol. ad Epheſ.* · t *Pſ.23.8* · u *Matt.16.19* · x *in Eſa.c.29* · y *Geneſ.3.24* · z *4. de Fide cap.1* · a *Cant.5.2.6* · b *Apoc.3.20* · c *Pſ.23.7.9* · d *Pſ.9.14* · e *Matt.16.18* · f *ibid.* · g *Pſ.9.14* · h *in cap.5 Amb.* · i *in c.26.Eſa.* · k *Eſ.26.2* · l *Pſ.9.14* · m *Philip.4.7* · n *homil.18* · o *Matt.11.29* · p *l.6. contr. Celſum.* · q *6. Strom.c.2* · r *cap.44.2* · ſ *Ruth.4.11*

mortuum vero Abſalonem t, hoc eſt, hoſtem humani generis devictum, illud ſalutem conſecutum. Quamdiu in hac vita quæ militia u eſt, verſamur, templi pacis, quæ eſt Jeruſalem cœleſtis, patefactæ ſunt portæ, ut Romæ olim belli tempore, dum bellum eſſet, apertas templi Jani ſeu pacis portas jubebant eſſe: finito bello claudetur janua, & ingredi volentibus, *reſpondebitur, neſcio vos* x. Contendendum nunc intrare, ac irrumpere per *anguſtam, arctamque portam* y; quia *vim patitur, & à ſolis violentis rapitur* z. Propior litterali ſenſu tropologia, ut noſtra templa ingreſſuri, ſecum reputent *introeundum ſibi*, ut a alibi canitur, *in Dei timore*: portas autem ipſius eſſe juſtitiæ, ac ſanctitatis, ut vel nonniſi jam juſtus intret, vel juſtitiæ amator, ut eam ibi comparet, ubi *mendicus ac reſina* b balſamum, theriaca, &c.) ſeu medicamenta parata ſunt, multo melius, quam in Galaad, quæ Arabiæ pars erat. Hortatur Eſaias c *aperiri portas, ut ingrediatur gens juſta faciens judicium*; per quam poſſumus eam quoq; intelligere, quæ velit eſſe juſta, & ſubire, ac facere judicium. Theophilus Alex. epiſtola ſua Paſchali prima invitans ad ſolemnitatem Paſchalem, negansq; ullam eſſe Hæreticorum ſolemnitatem, vel qui errore decepti ſint, illius poſſe communione lætari, ſcribit Davidem iſto loco portam cœli quam viderat Jacob d, acutius intuitum, & tota cupidine mentis inquiſiviſſe, rationemq; illius itineris, quo in ſcala myſtica ejuſdem Patriarchæ diverſis virtutum gradibus ad ſuperna conſcenditur, cogitationibus tractaviſſe, & quaſi pretioſa pigmenta fortius triviſſe, atq; comminuiſſe, ut ſuaviſſimi odoris fragrantiam late ſpargerent, ſicq; ad ſolemnitatem provocaviſſe feſtinantes. Cyrillus Alex. in exordio explanationis duodecim capitum, ſive anathematiſmorum, uſurpans ex Jeremia e Dei verba; *ingredimini per portas meas, & lapides de via tollite*, ait prælatorũ eſſe offendicula è medio ſubmovere, ne qua ratione populi ad illa impingant, ſed veluti per planam ſemitam ad ad ſacra illa divinaq; atria progrediantur, illud fere quotidie ingeminantes, *hæc eſt porta Domini, juſti intrabunt in eam*. Elicimus præterea contra Hæreticos, merita operum noſtrorum; quoniam, ut hoc loco docet Chryſoſt. iis qui caſtigantur, portæ aperiuntur, ac iis qui peccata deponunt; & qui diſciplinam ſuſceptit, poteſt confidenter dicere; *aperite mihi portas juſtitiæ*. Tum ſubdit cœlorum portas clauſas eſſe improbis, pulſandas autem per virtutem, per eleemoſynam, per juſtitiam. *Diligit Dominus has portas ſuper omnia tabernacula Jacob* f. Oportuit Chriſtum ipſum intrare in gloriam ſuam, & in portam ejus per portam patientiæ g *& per portas tribulationum multarum oportere intrare regnum cœlorum*. Apoſtoli confirmaverunt h. De iſtis portis tribulationum, quibus circumdabatur liberatum ſe gratias agebat Sapiens i. Sunt & peculiari quadam ratione *portæ confeſſionis* peccatorum, per quas *introeundum eſt* ad Deum k, ut ab ingreſſis laudetur, quemadmodum obſervavit Auguſt. l. Hugo portas quas aperiri petit Propheta, ſcripturas accipit, per quarum intelligentiam pervenitur ad Dominum, ad quem ut ad portam unam aliæ referuntur. Vel ſumit ut orationem, ſeu prædictionem martyrum ad ſuos perſecutores, qui nolentes, & neſcientes perſequendo, & occidendo, efficiant ut juſtificentur, & patiendo confiteantur ei, & laudent, idq, quoniam *hæc eſt porta Domini*, hoc eſt, quia ipſemet per talem paſſionis, & mortis portam *intravit in gloriam ſuã*,* *dans exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus* m: *quoniam oportet etiã per multas tribulationes intrare in regnum cœlorũ* n. Ad hæc inducit à Deo caſtigatum, petere etiam ab Eccleſiæ Prælatis, quibus traditæ ſunt claves illius, ut aperiant portas pœnitentiæ, quæ requirit juſtitiam ſatisfactionis, confeſſionem, & ingreſſum contritionis. *Væ illis, qui tulerunt clavem ſcientiæ, ipſi vero non introierunt; & eos, qui introibant, impedierunt* o; *& clauſerant regnum cœlorum ante homines non intrantes, & introeuntes non ſinentes intrare* p. Tandẽ attribuit eamdem ſententiam animæ juſti, quum egreditur de corpore, quaſi dicat, ſicut terra aperitur corpori, ita cœlum aperiatur animæ, quæ dicuntur *portæ juſtitiæ*, quia tunc iſtius tempus eſt non miſericordiæ. Applicat vero eodem modo verba Judith, q *Aperite portas, quoniam nobiſcum eſt Deus*: id etiam, quod eadem hiſtoria narrat, *occurriſſe ad eam omnes à minimo uſq; ad maximum*. Propterea in exequiis defunctorum recitari verſum hunc: & illud aliud reſponſorium, *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus*. Tum adjicit animæ ingreſſæ in illas portas dici r, *Intra in gaudium Domini tui*, illam verò confiteri Domino cum gaudio, & lætitia juſti-

t *2.Reg.18 24.33* · u *Job.7.1.* · x *Matt.25 12* · y *Matt.7.13 14. Luc.13 24* · z *Matt.11.12* · Tropologia · a *Pſ.5.8* · b *Jerem.8.22* · c *cap.26.2* · d *Gen.28.17* · e *cap.7.2.& 50.16* · Contra hæreticos pro meritis noſtrorum operum elicitur argumentum. · f *Pſ.86.2* · g *Luc.24.46* · h *Act.14.21* · i *Eccleſ.51.5* · k *Pſ.99.4* · l *ibid.* · * *Luc.24.46* · m *1.Petr.2.21* · n *Act.14.21* · o *Luc.11.52* · p *Matt.23.13* · q *cap.13.13.15* · r *Matt.25.21.23*

ſtitiam, qua prædita eſt, eſſe *portam Domini*, ideſt, beneficium ipſius, nec admitti eo in loco niſi juſtos. Nicephorus Blemmida videtur intelligere de Davide prophetante ſe, quum eſſet in limbum ingreſſus, ubi multitudo eſt Synagogarum, ſeu Eccleſiarum in unam Chriſti fidem coaleſcentium, tandem in eadem fide perventurum ad Deum, videlicet ad beatorum domicilium. Cajet. vult eſſe apoſtrophem ad ſuos diſcipulos ut aperiant Evangelicam doctrinam, poteſtatemq; faciendi miracula, ad confirmationem Evangelii, non ſibimetipſis, ſed illi: ſe introiturum in has portas, interius cooperando ad movendum mentes hominum ad juſtitiam fidei: confeſſurum ſe Domino in membris ſuis: & *hanc portam eſſe Domino*, vel *Domini*, hoc eſt, fidem illam Evangelicam eſſe, per quam ſolam aditus eſt ad Deum: juſtos intraturos per eam, ideſt, introeundo juſtificandos, & quum juſtificantur, intraturos. Placet Rickelio Chriſtum hìc alloqui Angelos, ut ſibi portas aſcendendi aperiant cœli, cujus ingreſſus, atq; poſſeſſio debeatur ſibi ex juſtitia. Simul imperare, ut aperiantur ſecum aſcendentibus: ibi à Chriſto, & ab aliis juſtis laudari perpetuo Deum: portam unam vocari, propter charitatem, ad quam aliarum quaſi portarum referuntur virtutes. *Oderunt peccatores corripientem in portis*, a ideſt, ut exponit Hier. b eum, qui corripiat ſtantes in vitiorum portis: aut qui ſtans in initiis virtutum, illos corripiat. Sed θεοφιλής, *Dei amator*, ut ait Procopius, c petit verbis hujuſce ſententiæ aperiri ſibi portas iſtas juſtitiæ.

Aperite mihi portas juſtitiæ.] Dirigi videtur ſermo ad Sacerdotes, æditouſve, & oſtiarios, quorum ultimorum proprium in Eccleſia munus erat non admittere in Eccleſiam profanos, ſeu Paganos, alioſque infideles, energumenos, excommunicatos, interdictos, publicos pœnitentes, hæreticos, apoſtatas à fide, flagitioſos, catechumenos, teſte Ambroſio, d & Chryſoſtomus, e ut quemadmodum à cœleſti Jeruſalem abiguntur canes, f ita ſecundùm analogiam etiam à templis noſtris quidquid coinquinatum eſt, & abominationem faciens, loci ſanctitati peculiari modo repugnantem. De tabernaculi portis, ubi legalis jacebat juſtitia, ideſt, ubi juſtificationes legis, nominatim exponit Euthymius.

Ingreſſus in ea confitebor Domino.) Ex allatis myſticis expoſitionibus illa minus congruit, quæ confeſſionem peccatorum hìc ſumit, quum ſit dumtaxat confeſſio laudis. Rectè autem Caſſiod. Eccleſias particulares ſub una Catholica comprehendens, veraciter Domino confiteri tantum colligit, qui ſint intra hanc poſiti, & quidquid extra Eccleſiam Catholicam geritur, nequaquam Domini laudibus applicari Bernardus g confeſſionem iſtam fieri dicit propter laudem Dei, non metu pœnæ; non ſpe lucri, non quærendo quæ ſua ſunt ſed illum diligendo, quem laudare geſtias.

Hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam.] Pſalterium Romanum, Ambroſ. h & Caſſiod. *per eam*. Vetus Pſalterium, & Auguſt. pluraliter, *hæ portæ Domini juſti intrabunt in eas*. Sed Hebræum nomen שער *ſchiahhar*, & Græcum πύλη ſingularis eſt numeri, & in eodem pronomen affixum, cum littera ſervili בו *bo*, ac ἐν αὐτῇ: & rationem reddunt Enarratores, ut vidimus, cur antea plures, nunc exprimatur unica porta; quod ad unam referantur univerſalem Eccleſiam ad unam fidem, juſtitiam, charitatem ad arctam illam, & anguſtam, quam Chriſtus prædicavit portam, ad unum Chriſtum. Adde ad unam beatitudinem. Procopius i quoque portam de Chriſto interpretatur, per quam ad Patrem ingreſſum habemus. Oſtium compactum tabulis cedrinis, ut de ſponſa dicitur. k Philo Carpathius l exponit de veterum juſtorum Patriarcharum, & Sanctorum omnium immarceſcibilis virtutis, & ſanctitatis exemplis, doctrinaque, & de Spiritu ſancti donis. Hic autem juſtitiæ portas eodem pacto intelligi de fide, ac præceptorum obſervatione, quæ prima ſit ſalutis æternæ janua. Nonnulli *portam Domini* vulnus lateris accommodatè ſumunt, & illum eam in partem inclinato capite expiraſſe, ut veluti hoc quaſi nutu poteſtatem faceret militi, ut latus aperiret, & juſtis id intrare volentibus, eoſdemque quadam ratione intrantes, clauſis licet jam oculis cerneret.

Verſ. 21. Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.

EXplicat quid ſe confeſſurum intellexerit, quum eſſet ingreſſus per portas juſtitiæ in portam Domini, per

a *Amos 5.10* · b *ibid.* · c *in Eſ.c.26* · d *Epiſt.33.* · e *hom.41.& 60. ad popul.* · f *Apoc.22.15* · g *in Cant. Ezech.* · h *in c.3. epiſt. ad Epheſ.* · i *in Eſa.c.62* · k *Cant.8.9.* · l *ibid.* · Senſus accommodatitius. · Senſus loci.

portas civitatis Jeruſalem in portam tabernaculi, nempe quod in tribulatione deprecantem exaudiſſet Dominus, & ſalutem contuliſſet. Quod per apoſtrophem ad ipſummet Dominum majorem vim habet, majoremq; declarat affectum, & gratitudinem. Myſticè pertinet hæc actio gratiarum ad impetratam redemptionem, juſtificationem, glorificationem: quæ ſumma eſt, ac ſcopus omnium petitionum, unaque illa res, quam ſe David alibi m petiiſſe ait, & requirere velle, *inhabitare in domo Domini, videre voluptatem ejus, viſitare templum ejus*, hoc eſt, ſub typo voluptatis, quæ percipiebatur in templo domove Domini, illam percipere, quam beati percipiunt in cœlo. Lyranus attribuit Davidi, & aliis in limbo, iſtam confeſſionem, quod ſint conſequuti ſalutem per Chriſtum: antea reprobatum à populo ſuo, & deinde factum in caput anguli, ut habetur ſequenti verſu. Jacobus Janſonius, & Antonius Agellius, hunc verſum cum ſequentibus connectentes, exiſtimant Davidem convertere orationem, ut Deum laudet pro Judæorum converſione, pro qua oraviſſe viſus eſt pſal.79. n & 84. o ita ut Chriſtus aliquando reprobatus à Judæis, futurus ſit in myſtico ædificio tamquam lapis angularis, populum illum adjungendo in vinculo fidei, & conjungendo cum Gentili, & ſicut iſti, ita illi, ex quo ipſe David erat ſecundùm carnem, collaturus ſalutem. Aptior nexus de Davide ipſo ad regni dignitatem evecto, poſtquam reprobatus, & rejectus fuerat, ut poſtea dicemus, vel de Chriſto, per quem, ut dicebat Lyranus, confiteatur David, & ſancti in limbo ſalutem ſe conſecutos, etiamſi prius reprobatus fuiſſet.

Confitebor tibi quoniam exaudiſti me.) Non ſatis aptè confeſſio hìc ab Hugone accipitur de peccatis: nec enim confitemur peccata, quia exaudimur, ſed gratias agimus, quia confeſſi peccata, veniamque petentes, exaudimur. Conjungitur iſta confeſſio, & exauditio, ut ait Hugo, tamquam duo fratres, Judas, qui *confeſſionem* ſonat, & Simeon qui *exauditionem*, quorum ille dixit huic, *aſcende* p *mecum*. Sed, ut dixi, non propriè cauſſa confeſſionis peccatorum exauditio, vel ideo confitetur quis illa quoniam exauditus eſt; niſi quatenus antiquior aliqua exauditio pro venia, vel alio beneficio, ſpem, ac fiduciam facit, iterum veniam petendi per confeſſionem novorum peccatorum.

Et factus es mihi in ſalutem.] Vide quæ dixi verſu 14. Ambroſius explicat, *converſus es mihi in ſalutem, operatus es ad ſalutem*: non quod in ſeipſo ſit factus Deus. Obſervat rectè Hugo plus eſſe *fieri Dominum in ſalutem*, quam *dare eſſe ſalutem*, quam *conferre*. Diſtinguit etiam ſalutem temporalem, corporalem, gratiæ, gloriæ. Chryſoſtomus quique dicitur Baſilius tranſcribens Chryſoſtomum, addunt agere Prophetam gratias, quod fuerit à Domino caſtigatus, & ſic melior effectus.

Verſ. 22.] Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.

Verſ. 23.] A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.

TAmetſi ferri poſſet expoſitio de Davide, qui primum à ſuomet patre rejectus eſt tunc quando Samuel quærebat ex filiis, quem ungeret in regem, q deinde ab aliis poſt mortem Saulis; * tandem vero factus eſt Rex *ſuper Iſraelem, & Judam*, r & in ea re typum Chriſti geſſit, qui populi Judæi, ac Gentilis, quos illi duo populi alii præfigurabant, Rex, & caput conſtitutus eſt, quam expoſitionem ſequuntur non contemnendi Auctores, Vatablus, Clarius, Arias, Flaminius, Herus. Janſenius, quibus favet Chaldæa paraphraſis. Nihilominus quoniam abſolutè hunc de ſeipſo Chriſtus locum apud Judæos attulit, ſ & Petrus, t idemque u ac Paulus x in epiſtolis ſuis, citantes ſimul Eſaiam y nominantem *lapidem angularem, ſummum, electum, probatum*, & rurſum Paulus z appellat Chriſtum *ſummum angularem lapidem*: præterea quoniam hìc eſt unanimis conſenſus Enarratorum, longè præſtat ſimpliciter locum iſtum ad ſolam Chriſti perſonam, per ſe referre, Chryſoſtomus, qui cetera hucuſque declaraverat, ſecundùm hiſtoriam de Davide, docens hoc de Chriſto dici cuivis eſſe manifeſtum, admonet iſtam eſſe Prophetarum conſuetudinem, intercidere ſermonem inceptum, atque ad alias prædictiones tranſire, ut ſic obtegerentur, nec ſi adeo apertè ponerentur, libri ipſi abolerentur, confirmat exemplo celebris illius vaticinii Eſaiæ; a *Ecce Virgo concipiet* &c. Notat idem Euthymius. Theodoretus vero ait hoc licet mil-

Senſus myſticus. · m *pſal.26.4* · n *verſ.2* · o *verſ.8* · p *Judic.1.3* · Senſus loci. · q *1.Reg.16.11* · * *2.Reg.2.8.* · r *2.Reg.3.10* · ſ *Matt.21.42 Marc.12.10 Luc.21.5.6* · t *Act.4.11.* · u *1.epiſt.2.7.* · x *Rom.9.32.33* · y *Act.28.16* · z *Epheſ.2.20* · a *cap.7.14.*

millies Judæi impudenter negent, tamen ad alium referre non poſſe, citat Petrum, Paulum, & Eſaiam, de quibus dixi: ac præterea Danielem, *a* ſcribentem de *lapide ſine manibus exciſo*. Sic præterea de Chriſto hunc, ac ſimiles locos, Tertull. *b* explicat, Irenæus, *c* Anaſtaſius, *d* Sinaita, Auguſt. *e* Gregorius, *f* Hier. *g* Euſebius, *h* Galatinus *i* præterea Rabinorum teſtimoniis confirmat. Plus ponderis habet auctoritas dicta, quam quorumdam *k* ratio, quod David non fuerit primus, neq; ſolus Rex ſuper Iſraelem, & Judam, ut ideo meruerit dici *lapis angularis*, ſed ante illum Saul, poſt eum Salomon: item quod Iſrael & Judas non fuerint propriè duo populi, ſive duæ gentes diverſæ, ut ſunt Hebræi, & Gentiles. Nam loquitur David de Rege, qui priuſquam fieret Rex, reprobatus eſt: per Iſraelem autem, & Judam adumbratos Gentiles; atq; Judæos apertè conſtat ex tota Oſeæ prophetiæ, & ex Ezechiele præſertim in capite 37. ut hic rectè obſervavit Janſenius. Mihi diutius hærendum non eſt in iſtius loci explanatione, ne repetere cogar, quæ in commentario Actuum Apoſtolorum, *l* & epiſtolæ Petri primæ *m* dixi, ubi locus hic ipſe citatur, & in præfatione, quoq; iſtiuſmet pſalmi nonnihil attigi, dixique videri fabulam de quodam lapide aliquoties rejecto, ac demum idoneo reperto ad templi fabricam. Ut mirum ſit Trevetum exiſtimaſſe, de hac una mirabili templi conſtructione hoc loco agi ad litteram. Meminerunt fabuloſi Lapidis Lyranus, Ayguanus, Valentia, poſt Magiſtrum hiſtoriæ ſcholaſticæ, quem prius citavi. Quam non ut fabulam, ſed hiſtoriam videtur Cantapetrenſis *n* recipere. Mens Davidis eſt, poſt decantatam in ſua; vel populi Dei perſona liberationem à malis temporalibus, vel etiam à ſpiritualibus & quum petiiſſet introitum in Jeruſalem, tabernaculumque, aut in æternam ſalutem, & beatorum habitationem, eſt, inquam, Prophetæ intentio, declarare quo pacto Deus aperuerit viam ad ęternam potiſſimùm ſalutem; nimirum mittendo lapidem vivum, pretioſum, electum, quem Judæi, quorum erat tunc munus Eccleſiam ædificandi, reprobaverunt, ac rejecerunt quaſi inutilem, immo ut noxium tali ædificio, negantes eum eſſe à Deo, *o* vel Regem ſuum, *p* ſed Samaritanum, malefactorem, ſeditioſum, cruce dignum, & mille convitiis afficientes atq; infamantes criminibus: verum ab eodem Deo principali architecto, *factus eſt in caput anguli*, hoc eſt, impoſitus duobus parietibus ut eos conjungeret, & caput conſtitutus duplicis populi Gentilis, & Judæi. Quod planè accidit cunctis admirabile, ac tamquam omnino eximium opus electionis, atq; potentiæ Dei, ut dignitas tanta, poteſtaſque conferretur crucifixo, mortuo, ſepulto, tot antea modis indigniſſimè tractato, & ut niſi per ipſū ſalus nemini cōtingere poſſet.

a cap. 2. 45.
b contr. Jud. c. ult. 4. contr. Marc. cap. 35
c lib. 3. c. 5. & 12. lib. 4. c. 70
d 8. in hexa.
e q in Joſue 9. 30. & ora. adverſus Juda. cap. 8.
f lib. 6. epiſt. in 7.
g epiſt. 146. & in Eſa. c. 28
h 9. de demon. c. ult.
i lib. 3 cap. 21
k Bellar.
l in cap. 4. 11
m in 2. 2. 4.
n 5. hypoty. cap 1. column. 341.
o Joan. 9.
p cap. 19. 15

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic, &c.) Hieron. in Regiis Bibliis *lapis, quem* &c. Sed in editione Victorii, Fabri, Treveti, *lapidem*. Legit etiam in recto Tertull. *q* & Cyprianus. *r* Hebræum nomen אבן *eſen*, propter ſequens verbum מאסו *maaſu*, videtur verti debuiſſe in accuſativo, prout eſt Græcè λίθον, ſed pronomen ὃν & *quem*, non eſt expreſſum, Hebraicè, nempe אשר *aſcer*: ſuppleri autem ſæpe conſuevit; in penultima autem nominis habentis ∴ *ſegol*, mutatio puncti non fit. Hujus anaſtrophes caſuum Genebrardus exempla contra Vallam affert tùm ſacra, tùm profana. Græcis eſt familiare conſtruere antecedens cum relativo. Paraphraſtes Chaldæus de Davide expoſuit, *puerum deſpexerunt ædificatores, qui inter filios Iſai meruit conſtitui Rex, & dominator* Concedi poteſt Agellio nonnullam rationem fuiſſe, cur lapidis contemti ſimilitudo ad Chriſtum reprobatum, deinde exaltatum, adducta ſit, ut innueretur in Chriſto filio David eam eſſe complendam; quoniam אבן *eſen lapidis* nomen ipſo ſono vocis habet ſimilitudinem cum בן *ben*, quod *filium* ſignificat. De cauſſis, ob quas lapis rectè dicatur Chriſtus, aut petra, citatis aliis in commentariis egimus, ac de iiſdem Pererius noſter. *ſ* Valentia vero in commentario, vocari notat Chriſtum lapidem capitalem ſeu fundamentum prævium à Jacob: deinde refugii, offenſionis, & ſcandali, contritionis, & comminutionis, reprobationis, & contradictionis: poſtremo anguli; atq; ultimi cauſſam eſſe, quia duæ naturæ in ipſo conjunctæ ſunt: per eum leges duæ, duoq; populi. Quo fit ut ſit lapis firmiſſimus, & quum extet, occaſio incautis offenſionis. Plures alias rationes lapidum aliorum Chriſto ſecundum allegoriam convenientes colligere poteris ex Patribus hoc verſu toto citatis: reprobatum iſtum lapidem affabre Pater elaboravit, ita ut *ſuper illum ſeptem oculi eſſent*,

q 4. contr. Marcio cap. 35
r De orat. Domi. ſub finem ib. 2. teſtimo. n. 16
ſ 2. in Danielem.
Cauſſa cur Chriſtus dicatur lapis factus in caput anguli.

A ſintque, hoc eſt eum cum admiratione contemplentur, *à Domino enim factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris*, quoniam ipſe *calavit ſculpturam t* ejus tempore paſſionis. Judæi, Antichriſti tempore convertendi, nec *deſpicientes dies illos parvos, lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanneum* (id eſt Chriſtum, prius reprobatum, ſicut ſecernitur ex argento ſtannum; vel quia ut ſtannum alia metalla defendit ab igne, ſic ipſos Judæos antea combuſtos calamitatibus, poſtquam receperint illum, ab Antichriſti tyrannide, aliiſque tentationibus] *in manu Zorobabel*, id eſt, poſteritatis, ac populi Zorobabel, *u* qui ſunt iidem Judæi. *Factus* quidem *eſt Chriſtus* etiam hoc tempore *in caput anguli*, ſed longè perfectius fiet in ſecundo adventu, de quo Tertullianus *x* explicat, quando non erit amplius lapis offenſionis; nec petra ſcandali, ſublimatus poſt reprobationem in conſummationem. Hugo tropologicè annotat lapidem iſtum reprobari ab ædificantibus palatia, & congregantibus terrena *conjungendo domum domui, & agrum agro copulantibus uſ-* B *que ad terminum loci*, *y* quoniam reprobant Chriſtum pauperem, qui *nec ubi caput reclinaret habebat*; *z* ſed habitavit in diverſorio, *reclinatus eſt in præſepio. a*

t Zach. 3. 9
u Zach. 4. 10
x adverſ. Judæ c. ult.
Tropologia
y Eſa. 5. 8
z Mat. 8. 20
a Luc. 2. 7.

Hic factus eſt in caput anguli.) Paraphraſtes ut ante retuli, expoſuit, quia meruit puer inter filios Iſai deſpectus conſtitui Rex, & dominator. De lapide angulari præter prius citatos Evangeliſtas, Apoſtolos, Eſaiam, Job, *b* quoque meminit, & Jeremias; *c* & in Job Pineda noſter diſputat. Non eſt probabile quod refert Petrus Bellonius *d* adhuc extare lapidem triangularem, quem affirment hunc ipſum eſſe, cujus hìc mentio fit. Repugnat ratio paſſim tradita, ut parietes duos jungat, quem eadem de cauſſa utraque parte frontatum, cum Vitruvio *e* vocat Philander διάτονον, aut, διαγραφον, quaſi dicas extentum, ac protendentem ad utramque parietis frontem, & ut ait Budæus, *f* utraque parte parietis faciem certam oſtendens. Auguſtinus, *g* & Fulgentius *h* officio lapidis angularis Chriſtum ipſo nativitatis initio functum conſiderant, quando Magos, ac Paſtores tamquam parietem Gentilium atque Judaicum convenire fecit ad ſe C & conjunxit, ut duos conderet in ſe unum hominem novum, faciens pacem, pacem iis *qui longe*, & pacem iis *qui prope*, ac *utraque unum ipſo pax omnium*, *i* & per fidei unitatem unum indens nominis Chriſtiani utrique populo vocabulum. Hinc in hymno canit Eccleſia.

b cap. 28. 6
c cap. 51. 26.
Bellonii opinio ut minus probabilis rejicitur.
d 2. obſerv. cap. 61.
e lib. 2. cap. 8
f comm. ling. Græc.
g Serm. 34. de temp. ſive 4. de Epiph.
h ſerm. de Epiph.
i Epheſ. 2. 18 14

Angularis fundamentum lapis Chriſtus miſſus eſt,
Qui compage parietum in utroque nectitur.

Etſi vero fundamenti locus non eſt altus, tamen appellatur ſimul Chriſtus ἀκρογωνιαῖος quomodo vertit Symmachus hoc loco, *ſummangularis*, quoniam ædificii locus honore præſtantiſſimus, & celſiſſimus eſt fundamentum: huicq; lapidi angulari, qui Chriſtus eſt, Chriſtum alios ſuperædificari ſibi voluiſſe, ſcribit Hier. *k* Aliter *caput anguli* poſſet cenſeri Chriſtus, quia caput Angelorum, & hominum, ac utriuſque tum Eccleſiæ militantis, tum D triumphantis. Rurſus *caput anguli* eſt lapis parvus factus *l* qui ſtatuam Romani dejecit imperii, & in capitolio per ſuum vicarium ſeu in capite ſedet orbis, per eum qui pro ipſo caput eſt, in capite mundi, quod eſt ſane mirabile in oculis omnium, etiam infidelium. Adhæc anguli caput Chriſtus in genealogia, quam Matthæus contexuit, inchoans ab Abraham, quem Eſaias *m* Petram vocat, ex qua exciſi ſunt Hebræi, ſicut Saram cavernam, ſeu lapicinam, de qua præciſi. Convenit autem rectè nomen, ratioque lapidis Abrahæ, propter fidei firmitatem, præſertim de Chriſto, & in hac Regia fabrica Regis inſignitus eſt ſigno, hoc eſt, circumciſione, quæ præſignificabat Chriſtum generandum, ut notant Auctor quæſtionum utriuſq; teſtamenti, *n* ac Rupertus. *o* Hier. aut Philippus in Job, quem iſte *p* ſcribit demiſſum lapidem angularem, interpretatur Chriſtum; qui poſitus eſt à Deo Patre in fundamento terræ Dominicæ, tuncq; aſtra matutina, hoc eſt, Angelos, Deum, laudaviſſe, quum cecinerunt, *Gloria q in excelſis*, &c. Verus autem Hier. explanans Eſaiam *r* ſcribentem *Deum dixiſſe ſe miſſurum lapidem in fundamentis Sion*, obſervat bis reperi nomen *laudis* ab illo, quia circumciſionis, & gentium populos copulavit. Legendus idem pluribus locis, *ſ* quibus accuratè tractat præſentem ſententiam, aliiſque ſimilibus illuſtrat: aitque *t* quod hic lapis angularis, & ceteros lapides angulares ſuperædificari ſibi voluit: ſed iſtos non imitantur hæretici, qui omnia gloriæ, & lucri cauſſa faciunt, & *orant in angulis platearum*, *u* rectam ſemitam relinquentes quia

k in Zach. c. 14
l Dan. 2. 45
m Eſa. 51. 1
Abrahamo petræ nomē tribuitur.
n q. 14. apud Auguſt.
o 5. in Gen. cap 31.
p cap. 38. 6
q Luc. 2. 14.
r cap. 28. 16
ſ Epiſtol. 145 in Eſa. c. 54. in Amos 6. in Zach. 3. & 14. & in c. 2. Epi. ad Eph.
t in Zac. 14.
u Matt. 6. 5.

quia omnis angulus rectam lineam frangit, & meretrix A ex proverbiis, *a inſidiatur in angulis platearum*: nobis relinquendos angulos ſimulatos, & ad firmos, atque robuſtos Chriſti tranſeundum; præterea *b* ſupponendum capiti noſtro lapidem angularem Chriſtum, non *dormiendum in lectis eburneis, & laſciviendum*; c poſtremò, *d* ut ſicut *lapides ſancti volvamur ſuper terram*, e & quum fuerimus vivi lapides ex omni parte dolati, læves, politi, nullam habentes ſcabredinem, ædificemur in templum, & ſiamus habitaculum Deo, &c. Hugonis tropologia eſt, quod lapis hic reprobatus à divitibus ædificatoribus, *factus eſt in caput anguli* hominis ſapientis, qui homo dicatur angulus creaturarum, quia creatus eſt ultimus; & ſicut in angulo duæ concurrunt lineæ, ita in illo natura corporis, & ſpiritualis: eſt autem *caput omnis viri*, id eſt, inquit, virtuoſi, *Chriſtus*; f diabolus caput, & *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. g

a cap. 7. 8. 12
b in Amos c. 6
c Amos 6. 4
d in c. 2. ad Epheſ.
e Zach. 9. 16
Tropologia
f 1. Cor. 11. 3
g Job. 41. 25

A Domino factum eſt iſtud.) Sic etiam Hieron. quum Hebraicè ſit זאת *zoth* generis fęminini, pro quo ſolet verti neutrum, quo carent Hebræi, ſicq; LXX. retinuerunt fœmininum αὕτη. Omittit Pſalterium Romanum pronomen *iſtud*, Hieron. *h* & Caſſiodorus habent, *factus eſt hic*. Auguſt., *factus eſt is*. Cyprianus, *i iſte*. Proſper, & qui dicitur Hieron., abſque pronomine, *factus eſt*. Vetus Pſalterium apud Fabrum, & Auguſtinus in quibuſdam codicibus, *factum eſt ei*. Tertullianus, *k factum eſt hoc*. Hieron. *l* iterum, *illud*. Si ex αὕτη fiat αὐτῷ, erit *ei* in dativo, & referetur non ad *lapidem* Græcè λίθον maſculini generis, ſed ad κεφαλὴν γωνίας fœminini. Opus eximium, & à Domino ſolo factum. Græci exponunt, plureſque Latinorum, talem angulum componere, qui duos dictos parietes copularet; cujus rei Chryſoſtomus fuiſſe figurā Abrahamum obſervat, qui fuit Patriarcha, & eorum, qui in præputio, & eorum, qui erant in circumciſione: vel opus redemtionis, & ſalutis humanæ. Hugo, quod occiſus ſit Chriſtus à Judæis, à quibus maximi fieri debebat. Deus enim id permiſit, &, ut ait Petrus, *m quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Chriſtum ſuum, ſic implevit*. Eodem pacto Joſeph fratres conſolans dicebat non ipſorum conſilio miſſum ſe in Ægyptum, ſed præmiſſum à Deo, ad ipſos alendos. *n*

h epiſt. 145
i de ora. Domin. & 2. teſtim. cap. 16
k 4. contr. Marcio c. 35
l in cap. 2. ad Epheſ.
m Act. 3. 18
n Gen. 45. 7. 8

Et eſt mirabile in oculis noſtris.) Hi, quos retuli priore membro tranſtuliſſe in maſculino genere de lapide, hic quoq; transferunt, *& eſt mirabilis*: aut *admirabilis*: item qui verterunt, *factum eſt ei*. Ex Hebræo abſque conjunctione addi debuiſſet *hoc*, propter pronomen היא *hi*. Omitti quoq; potuiſſet verbum ſubſtantivum, quod deeſt à textu Hebræo. Pro *mirabilis* θαυμαστὴ reddi Aquila in neutro, αὐτὸ παράδοξον ἐφάνη ἡμῖν, *id paradoxum, præter opinionem, ac fere incredibile viſum eſt nobis*. Hoc myſterium Apoſtolus *o* negat aliis generationibus agnitum fuiſſe filiis hominum, ſicut nunc relevatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis in ſpiritu, Gentes eſſe cohæredes, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu, per Evangelium. *Obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro* in Cornelii domum, *quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt*. p Eſt admirabilis quidem illa lapidis exaltatio vel iis, qui quomodocumq; eā conſiderant, multo autem magis & longè evidentius, inquit Chryſoſtomus, eis, qui credunt, & qui nempe ſpiritualibus oculis præditi, conſiderantes hoc opus Dei, expaveſcunt. *q Scitote*, ait David, *r quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum*. Hieronymus *mirabilem* reddit. Totus mirabilis immo miraculum Chriſtus.

o Eph. 3. 5. 6
p Act. 10. 45
q Abac. 3. 2
r Pſalm. 4. 4

Verſ. 24.) Hæc eſt dies, quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea.

Senſus loci.

VOx etiam iſta eſt populorum, Rege Davide jam declarato, & affirmantium opus Dei hoc eſſe, quemadmodum proximè dictum eſt; nempe poſt adeò multas calamitates atq; perſecutiones. Quod myſticè multo melius convenit Chriſto ante reſurrectionem tot modis reprobato, poſt illam tàm mirabiliter, ac inſigniter exaltato, *poteſtate omni ei data in cœlo, & in terra*. ſ Facere aliquid, eſt quandoq; id inſigne reddere, ut quum *Deus feciſſe* ſcribitur *Moyſem, & Aaronem*, t id eſt, nobilitaviſſe, inſigneſque reddidiſſe. Diei reſurrectionis Chriſti convenit potiſſimum verſiculus iſte, quem paſchali tempore frequentari conſtat, & de ſuomet tempore Chryſoſtom. te-

ſ Matt. ult. 18
t 1. Reg. 12. 6

A ſtificari docui in principio. Illa videtur dies clarior illuxiſſe, ut cecinit in carmine de reſurrectione Chriſti Lactantius, aliuſve, quando Chriſtus reſurrexit. Chryſologus *u* exiſtimat Solem, qui præter horā, ut Domino compateretur, abſceſſerat, claritate, quum reſurgeret Dominus, ante tempus occurriſſe, & qui ut ſuo commoreretur Auctori, ipſam meridianam ſuam mortificaverat, claritatem, ut conſurgeret auctori ſuo, evictis tenebris antelucanum erupiſſe; ut mane faceret mane caviſſe, & qui ante noctem fugerat, tunc noctem præveniſſe fugaturum, ut redderet luci nox horas, quas error Dominicæ paſſionis invalerat. Id pie fortaſſe magis, quam vere. Si vere, ea certe ratione facta à Domino dies peculiariter eſt. Aliter eā diem fecit Dominus, ut pro re in illa geſta ſumitur, id eſt, pro Chriſti reſurrectione, quæ totum divinum opus fuit, nihil habens humanæ miſeriæ, aut cooperationis alterius hominis, ut hactenus antequam Chriſtus reſurgeret. Deinde quoniam diem illam Dominus conſecravit ſibi, ac Dominicam vocari voluit Sabbato ſuccedentem, in qua peculiariter coleretur; nos autem ſingulari quadam raB tione vacando, exultaremus, & lætaremur. Cognoverunt id utcumq; Hebræi cæci, ac more Caiphæ, neſcientes, atque inviti prædixerunt aſſerentes, ut olim ſolemnitas Paſchalis in monimentum egreſſionis populi de Ægypto inſtituta eſt, ſic alium diem feſtum inſtituendum, qui referat memoriam exitus de præſentibus ęrumnis. Agitatur à nobis jam dies iſte ac novum Paſcha redemtionis humanæ, & quot hebdomadis certo die recurrente renovatur beneficii ejuſdem tanti celebritas. Canitur hìc idem verſiculus in reſponſorio ſecundo, ac tertio nocturni ſecundi Circumciſionis, quæ ſimul eſt Octava Nativitatis in qua *gaudium magnum eſt evangelizatum*, x & anni dies prima, & in quibuſdam Eccleſiis die Annunciationis B. Mariæ. Sed ut dixi, melius congruit reſurrectioni, & exaltationi; quæ ſucceſſit humiliationi, atq; reprobationi. Extendunt alii, ut Rickelius, poſt Auguſt. pluresque, & Hieron. alibi, *y diem hanc* ad totum tempus novæ legis, in qua omnia ſecunda, & læta. Cyrillus Alex. *z diem hanc* interpretatur, qua Chriſtus illuxit, Sol juſtitiæ, intellectualis *Lucifer*, a *in cordibus credentium exoriens*. ProcoC pius *b* videtur conſentire. Citant Paulum, *c* ſcribentem quod *dies appropinquabit*: item Ambroſius, *d* Quidam ipſummet Chriſtum *diei* nomine intelligunt, ut Gregorius; *e* ipſe enim, ait ille, qui pro fortitudine conſtructionis dicitur *lapis*, pro illuminationis gratia appellatus eſt *dies*, qui etiam *factus eſt*, quia incarnatus eſt: in quo *exultare & lætari* præcipimur, quia erroris noſtri tenebras ſuæ in nobis virtutis luce ſuperavit. Rupertus *f* item *diem hanc* pro Chriſto ipſo accipit, & alias etiam factas à Deo, ſed hanc peculiari modo, quia non creando, ſed gignendo de ſemetipſo, ſicut diem viſibilem facit viſibilis Sol. Innuit & Hieron. *g diem* eſſe Chriſtum. Apertius id expreſſit Ambroſius, *h* & Clemens Alexandrinus, *i* quia per Verbum Deus occulta illuminat, & in lucem, ac generationem acceſſit, unaque creatura per illud. Procopius *k* exponit de ipſo myſterio incarnationis, quem Paulus *l diem ſalutis* nominet. Vidit *hanc diem Abraham*, præſertim Dominicæ reſurrectionis *exultans* prius *ut videret & gaviſus eſt*; m ſed & in ea cœlos, ac terram lætata, Eccleſia canit, iſque quem retuli carminis Auctor de reſurD rectione, atq; gaviſos diſcipulos viſio Domino prodit Evangeliſta. *n* Auguſtinus, *o* aut Euſebius, aut quis alius, diſputans de hujus ejuſdem diei lætitia, & majore præ ceteris quadam illius luce, quæ retracta in paſſione fuerat, eamdem inter ceteras dies ita tenere principatum affirmat, ut Mariam Virginem Matrem Domini inter omnes mulieres, ut omnium dici mater dierum poſſit. Ignatius *p* Reginam, & Principem omnium dierum vocat, unam eſſe de ſeptem, & extra ſeptem eſſe vocari octavum, pro qua pſalmi nonnulli ſcribantur: in ea ſynagogam finiri, & Eccleſiam naſci: in illius numero octo animas ſervatas in arca Noe: omnem Sabbati gratiam, & antiquam illam feſtivitatem populi Judæorum diei iſtius ſolemnitate eſſe mutatam: Judæos non feciſſe opus ſervile, nos in die Dominico, hoc eſt, in die reſurrectionis opus ſervile non facere, quia peccatis, & vitiis non ſervimus illos de domibus ſuis non egreſſos (niſi ad breve ſpatium) nos de domo Chriſti non egredi, hoc eſt de Eccleſia: illos non accendiſſe ignem; nos è contrario accendere debere in nobis ignem Spiritus ſancti, & omne vitium excuoquere peccatorum: illos non ambulaſſe in itinere, quia perdiderunt eum, qui dixit, *Ego q ſum via* nos dicere, *r beati* im-

u ſerm. 82
Solem, qui Domino paſciente præter horam abſceſſerat, ipſi reſurgenti ante tempus claritate occurriſſe exiſtimat Chryſologus.
x Luc. 2. 10
y in Eſa. 52.
z in Abac. 3 num. 5 2
a 2. Pet. 1. 19
b in Exod. pag. 272
c Rom. 13. 12
d Enar. 2. in Geneſ. ad Orontianum & 1 de interpell. c. 5. & in Pſ. 38. & 43. & Ser. in hunc verſum & de myſt. Paſcha cap. ult.
e l. 6. ep. in 7
f 2. in Geneſ. cap. 16
g in Oſea c. 1
g de myſt. Paſch. c. ult.
i 6. Stro. c. 8
k in Eſ. c. 49
l 2. Cor. 6. 2
m Joan. 8. 56
n Luc. 24. 41
o in append. Serm. 51
Diei reſurrectionis celebritas.
p epiſt. 3. ad Magnſ.
q Joan. 14
r Pſ. 118

immaculati in via; viam a veritatis elegi: b *viam juſtificationum tuarum doce me, &c.* Niſſenus oratione quadam de feſto Sancto Paſchæ c celebritatem illius, communemque in eo cunctorum deſcribens lætitiam, confirmat præſentis pſalmi iſto verſiculo, hortaturq; ut exultent & lætentur non ebrietatibus, & commeſſationibus, non choreis, & debacchationibus, inſanis, ſed divinis ac Deo convenientibus cogitationibus: deniq; ait ipſa imitatione præſentem diem ad futurum rectè referri, atque comparari, nempe reſurrectionis, atque judicii generalis, quoniam dies uterque hominum congregator eſt, ille univerſorum hic ſingularium. Euſebius Alexandrinus d, quem Turrianus e noſter citat, notavit ante paſſionem Domini diem qui nunc appellatur *Dominicus*, vocatum *primum*, rationem autem nominis fuiſſe, Domini reſurrectionem. Clemens quoq; Romanus f omnem Dominicum diem reſurrectioni Domini dicatum ſcribit. Idem teſtantur Ignatius g, Auguſtinus h, Ambroſius, i Gregorius, k Chryſoſtomus, l ubi vocat etiam *diem panis*, *& in diem lucis*, Athanaſius m quidam n ſub nomine Hieron. epiſtolam ſcribens ſuper hoc pſalmo, Juſtinus, o Leo, p & alii; addentes etiã B creationis memoriam; de qua item Procopius, q quæ cœpit eo die, in quo & Angeli conditi creduntur cum cœlo, terra, luce, quemadmodum in eodem manna datum Auguſt., r Iſidorus, ſ Synodus t Trull. obſervant: alii, mare rubrum tranſmiſſum. Hieron., a liuſve apud eum Commentarii Auctor in Marcum, u poſt Sabbata triſtia, felix, ait, irradiat dies, quæ primatum in diebus tenet, luce prima in ea luceſcente, & Domino meo cum triumpho reſurgente, & dicente, *hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Interdum etiam nominatur *dies reſurrectionis*, ut à Gregorio. x Ambroſius autem *diem Solis* ab hominibus ſæculi vocari monet, quod eam ortus Sol juſtitiæ Chriſtus illuminet, nempe reſurrectione ſua, Quamvis eadem natus credatur (quod præter alios aſſerit hoc loco, & ita ſumit iſtam ſententiam Caſſiodorus) præterea baptizatus eſſe, adoratus à Magis, aquam in vinum convertiſſe, panes multiplicaſſe, munus prædicandi dediſſe; Spiritum ſanctum miſiſſe, ut alibi docui, & Auguſt. y tradit de multis ex his; Leo z de prædicationis commiſſo officio, ſive Apoſtolatus, & Epiſcopatus. Qua C forſitan de cauſſa nonniſi in die Dominico Epiſcopi conſecratio celebratur, a quoniam ſuccedunt Apoſtolis. b Sed à reſurrectione per ſe denominatio diei Dominicæ orta eſt, quamvis ſimul in honorem Trinitatis ſit inſtituta, propter quam etiam reſurrectionem inhibita olim eſt genuflexio in die Dominico, ut eſt in Concilio Niceno, c apud Juſtinum, d aliumve, Tertullianum, e Hieronymum, Ambroſium, f Auguſtinum; g qui mos ut oratio fiat ſtando dicto die duravit uſq; ad Alexandrinum III. h & à Clemente VIII. paucis ab hinc annis renovatus eſt. Lege de noſtris Suarem noſtrum, i Bellarminum, k Pererium, l Vigeam, m præterea Aſcanium Martinengum. n Sunt etiam o qui die Dominica futuram putent univerſalem reſurrectionem, noſtræ ſalutis conſummationem, totius mundi renovationem. De die ipſa paſſionis Chriſti videtur Hieron. p locum hunc intellexiſſe, una cum illo Zachariæ, q *Ecce ego cælabo ſculpturam ejus*, lapidis, *dicit Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die una*, ideſt, iſtum lapidem clavis crucis, & lancea militis faciam vulnerari, & in illius paſſione *auferam iniqui-* D *tatem terræ in die una*, & de qua ſcriptum eſt; *hæc eſt dies quam fecit Dominus* &c. Proxima cauſſa lætitiæ, ac exultationis fuit reſurrectio mox ſecuta poſt triduum paſſionis, ac mortis obitæ propter delicta noſtra, ita ut reſurrectio quoque fieri propter juſtificationem noſtram. r

Communior itaq; de reſurrectione hujus loci ſententia eſt; paullò difficilior, quæ *diem* pro Chriſto accipit, præſertim ut eſt Deus, quia non ita bene ut Deus intelligitur *factus*, ſed ut homo, & ut incarnatur, De nativitate, vel incarnatione, vel paſſione, quod attinet ad eumdem Chriſtum, commodè ſumi poteſt; poſtremò de ſtatu legis Evangelicæ, gratiæ, novi teſtamenti. Ambr. ſ *diem* accipiens pro Chriſto, ſic ejuſdem citat verba ex Joanne t ac ſi dixiſſet, *ego ſum dies, qui per diem ambulat, non offendit.* Quia verò habet hìc idem verſiculus formam carminis epinicii, victorialis, triumphalis, ſeu acclamationis lætæ, ac fauſtæ, qua optatum atq; felicem eventum ſucceſſumq; victores, cæſis hoſtibus in bello acceptum Deo ferre, & gratulari ſolent, quemadmodum olim *Io triumphe*, vel *Io pæan*, vel quid ſimile in triumphis proclamabant; propterea nonnumquam utuntur aliqui iſtis pſal. noſtri verbis,

a verſ. 30
b verſ. 27
c Orat.
d hom. de die Dominico. Dies qui nunc dominicus dicitur olim primus appellabatur.
e 5. contra Magdeburg. cap. 7
f 7. conſtitut. cap. 31. & 37
g Epiſt. ad Magneſ.
h Ser. 154. & 151. de temp.
i in Luc. 10 & Ser. 60. & de myſt. Paſchæ c. ult. & de Paſch. celebritat.
k l. 11. Ep. 3
l tom. 5. de reſur.
m in id, omnia mihi tradita ſunt &c. Vel tract. de Sabb. & Circunc.
n tom. 9
o Epiſ. 27
p Apol. 2. & qu. 115
q Epiſt. 81
r in Geneſ. pag. 16
ſ Ser. 251. de temp.
t 1. de Offic. cap. 24
u Cant. 8.
x in cap. 16
y lib. 11. ep. 3
z Ser. 154. de tempore.
a Epiſtol. 81
Cauſſa cur Epiſcopi conſecratio in die Dominico celebretur.
a d. 75. cap. 1
b d. 21. c. in noto.
Cauſſa cur in die dominica olim inhibita fuerit genuflexio.
c cap. 20. de conſec. d. 3. c. quoniam.
d qu. 115
e de Coro. milit. cap. 3
f Serm. 60
g Ep. 119. c. 15
h c. quoniam de feriis.
i 10. 1. de relig. lib. 2. c. 4
k 3. de Sanct. cap. 11
l lib. 1 Gen.
m in Apoc. 6 1. Sect. 23
n Gloſſ in Gen. pag. 551 & 551. & 1301. & 4
o Pereius ſupra & Auguſt. Ser. 151 de temp. Hilar. proe in pſalmos.
p in Zach. 3
q cap. 2. 9
r Rom 6 7. 8
ſ de myſt. Paſcha. cap. ult.
t cap. 11. 9

A quum quid admodum lætum contingit. Hoc pacto in Concilio Conſtantinopolitano ſub Agapeto Papa, tempore Juſtiniani Imperatoris, u Joannes præsbyter propter concordiam congregatorum illa uſurpavit. Greg. x tamen hac de cauſſa reprehendit Epiſcopos illos, qui propter ordinationem Cyriaci valde læti clamaſſe ſe ſcripſiſſent, *hæc dies quam fecit Dominus*, &c. quoniam penſare debuiſſent dictã hanc ſententiam de illo, cui priora conveniunt, *lapidem quem reprobaverunt*, &c. quodq; ipſe qui pro fortitudine conſtructionis dicitur *lapis*, pro illuminationis gratia appellatus eo *dies*, qui etiam *factus eſt*, quia incarnatus eſt: *in eo exultare, & lætari* nos præcipi, quia erroris noſtri tenebras ſuæ in nobis virtutis luce ſuperavit. in creaturæ autem laudem vocem illam dari non debuiſſe, quæ ſoli convenit Creatori. Subdit mox Sed cur iſta reprehendo, qui quantum gaudia mentem rapiunt ſcio? Charitas etenim veſtra magnam vobis lætitiam genuit, quam videlicet mentis lætitiam in favore lingua ſecuta eſt. Quod quũ ita ſit, laus iſta culpa jam dici non poteſt, quam charitas invenit. Accipio excuſationem. Sed B non arbitror Epiſcopos aliud voluiſſe, quam Creatori ipſi gratias pro tanti præſulis electione agere. Judæis nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium, quando adverſario Aman occiſo, liberati ſunt ab extremo periculo y. Simile quid innuebant apud profanos dies, quos appellabant, *fauſtos feliceſq; albo notandos lapillo, & boni dæmonis*, de quibus cum Alexandro z Tiraquellus.

Hæc eſt dies, quam fecit Dominus.) Hieron. Romanum Pſalterium, Caſſiodorus, alii omittunt verbum ſubſtantivum; quod etiam nec eſt in textu Hebræo, nec in Græco. Pſalterium vetus, Auguſtinus, Proſper, Arnobius, Ambroſius, a Rupertus b (ut quidem contextus ejus oſtendit) in genere maſculino, *hic eſt dies*. Cyprianus c *iſte*. Ambroſius d docet quamvis omnes dies Dominus fecerit, illos peculiariter dici factos ab eo, & præclaros, in quibus refulſerunt facta divina.

Exultemus: & lætemur in ea.) Alii jam dicti, *in eo.* Pſalterium vetus, Auguſtinus, Proſper, Cyprianus, e *& jucundemur.* Sed idem Cyprianus f priore loco habet alicubi *ambulemus*. Quod neſcio qui ſibi velit, ſuſpicorq; mendum eſſe. Nihil enim affinitatis habet *ambulemus*, C cum ἀγγαλλιασώμεθα, & נשמחה *niſmechah*. Volunt nonnulli verba iſta ſimilia illis cantici g eſſe, aut iſtis potius illa, *exultabimus, & lætabimur in te*, ac utraq; eſſe de adventu, atque præſentia Meſſiæ. Legatur Auctor libri, cui titulus: *Victoria contra Hebræos.*

u Actio 1
x lib. 6. ep. 7
y Eſth. 8. 16
z lib. 4. c. 29
a Enarr. 2. in Gen. & 1. de interpell. c. 5 & in Pſ. 38 & 43. & in hunc locum, & in Luc. 10 & de myſt. Paſc. c. ult. & de Paſc. celebr. ration.
Illi dies peculiariter à Deo facti dicuntur in quibus facta divina refulſerunt.
b 2. in Gen. cap. 16
c de orat. Dom. & 2 teſt cap. 16
d in Pſ. 43
e 2. teſti. c. 16
f de orat Domi.
g cap. 1. 4

Verſ. 25.) O Domine ſalvum me fac, ò Domine bene proſperare.

Verſ. 26.) Benedictus qui venit in nomine Domini,

Benediximus vobis de domo Domini.

Senſus loci.

ISta exultationis, ac lætitiæ vox, in die, quam fecerit Dominus, hoc eſt inſignem reddiderit, & illuſtrẽ, Davidis in Regem creatione, atq; inauguratione: ut nempe proſperum cuncti precentur Davidi, regnoq; ipſius, ac D felicem exitum; præterea, ut benedictum optent à Domino eſſe, & ab omnibus benedici, ac prædicari, qui venerit ab illo Rex, datuſq; divinitus fuerit. Inducit demum eos, qui ſunt invitati, reſpondentes præſertim *in domo Domini*, ſeu *in templo*, cum approbatione acclamationis fauſtæ, quam velint invitatis eſſe communem cum illo, pro quo fieri cupiebant. Quod attinet ad Chriſtum, produnt Evangeliſtæ h turbas hiſce vocibus illi acclamaviſſe, Jeroſolymã intranti triumphanti in morem, quamvis aſello veheretur, & in templum tendenti. Sic veluti cecinerunt ipſi Chriſto triumphum ante pugnam: ſed mox futuram: & ante victoriam, ſed certã, illicoq; ſecuturam. Matthæus refert turbas dixiſſe: *hoſanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini, hoſanna in altiſſimis:* Marcus: *hoſanna: benedictus qui venit in nomine Domini, benedictum quod venit regnum patris noſtri David hoſanna in excelſis.* Lucas: *benedictus, qui venit Rex in nomine Domini pax in cœlo, & gloria in excelſis:* Joannes: *hoſanna: benedictus qui venit in nomine Domini, rex Iſrael.* In reſurrectione triumphavit, & in aſcenſione regni poſſeſſionẽ inivit. Bene autẽ cecidit, ut & dies Palmarũ, & dies reſurrectionis eſſet dies Dominica. Non hærebo diutius in expoſitione ſententiæ, ſin-

h Matt. 21. 9 Marc 11. 9 Luc. 19. 28 Joan. 12. 13

ſingularum enarratione partium illuſtriorem reddere A contentus.

O Domine ſalvum me fac.) Hieron. *obſecro Domine, ſalva obſecro*, Alii, *obſecro Domine, ſalvifica nunc.* Exponunt quoque quidam, *ſalva nos amabo, Domine:* aut, *qui ſumus Domine, ſerva nos nunc.* Hebræa ſic ſe habent נא אנא יהוה הושיעה *anna jehovah hoſcihhah na.* Chaldaicè, *obſecro te Domine, confer ſalutem*, vel juxta Nebienſem, *impetremus à te, Deus, redime nunc, dixerunt ædificatores.* Recitati Evangeliſtæ retinuerunt *hoſanna*, Græcis litteris ὡσαννὰ, quod aliqui a ſcribunt duabus dictionibus ὡς ἀννὰ Hieronymus Damaſo ſcribit b de voce *hoſanna*, refellens opinionem Hilarii, c quæ videtur etiam Ambroſii, d quod ſignificet, *redemiit domus David*: aliam, quod idem ſit atque *gloria*, (meminit Auctor e operis imperfecti) tertiam, quod idem ac *gratia*: Addi poteſt quarta Auguſtini, f eſſe interjectionem gaudentis, & obſecrantis: quinta Euthymii g, *hymnum, laudemque*: ſexta, *ramos*, quos Judæi in feſto tabernaculorum geſtando, clamare ſolerent *hoſanna*, & perinde, ut ille cecinit.

—— *manibus* h *date lilia plenis*,

Sic turbas dixiſſe *hoſanna filio David*, hoc eſt, *illi ramos præcidite*, Quæ opinio placet Angelo: i Caninio, Baronio, k aliiſque. Septima cenſeri poſſet, de qua Toletus l meminit, נא *na* eſſe unum de Dei nominibus. Octava Juſtini m ſignificare *magnitudinem excellentem*. Nona apud Auctorem n operis imperfecti, *redemtionem*. Deinde ait Hieron., quæ recitantur hìc Latinè, eſſe ex tranſlatione Symmachi, Theodotionis, Quintæ editionis ὦ κύριε σῶσον δὴ, ὦ κύριε εὐόδωσον δὴ, &c. Sed ſextam editionem cum LXX. non habet δὴ, verum dumtaxat ὦ. Adhæc docet pro *hoſianna* corruptè propter ignorantiam, nos dicere *hoſanna ſalvifica*, ſive *ſalvum fac.* Poſtea monet in toto verſu repetitur אנא *anna*, & primum ac ſecundum per *aleph, nun, he*, אנה *annah* tertium per *chetu, nun, he*, חנה *channah*: in pſ. 114. o *ò Domine libera animam meam*, Symmachum expoſuiſſe, *obſecro*, ubi eſt חנה *anah*, &c. ὦ. Item notat quum eſt in principio *aleph* א, eſſe *obſecro*: cum *cheth* ח conjunctionem, vel interjectionem, ejus verò interpretationem Latino ſermone non exprimi, ſed Græcè σχετλιαστικῶς per modum commiſerationis. Obſervat in Evan- C gelio eſſe relictam abſque interpretatione vocem *hoſianna*: ſicut *alleluja, amen* & ſimiles, præterquam à Luca, qui Græci ſermonis eruditiſſimus, videns ſe proprietatem ſermonis transferre non poſſe, melius arbitratus eſt tacere, quam id ponere, quod legenti faceret quæſtionem. Adjicit videri *anna* habere vim interjectionis, qua petentis affectus exprimatur, & in compoſitione *hoſianna*, vel *hoſanna*, eſidendo mediam litterram, ſignificare *obſecro, ſalvum fac.* Poſtremo interpretatur, *ſalvum fac* ideſt, populum tuũ Iſrael, aut generaliter mundum: Matthæum autem addidiſſe ad *hoſiannah* aliud nomen cum littera ſervili ברמא *berama, in excelſis*; quod Salvatore naſcente, ſalus in cœlum uſq; ideſt, etiã ad excelſa, pervenerit, pace facta non ſolum in terra, ſed & in cœlo. Hæc redactus in ſummam Hieron. ea quam dixi ad Damaſum epiſtola. Ubi notandum in emendata editione LXX. extare nunc quoq; particulam; in Hebræo textu non extare ter אנא *anna*, ſed bis, ac totidem vocibus נא *na*: nec primum ſcribi per ה *he* in fine, ſed per א *aleph*, & cum ה *he* extare in pſalm. 114. p quætamen litteræ ſunt permutabiles: per ח *cheth* non D reperiri, quod equidem ſciam, ullam particulam Hebr. quæ ſerviat interjectioni? q legi alibi abſque י *jod* הושע *hoſahh.* Notandum præterea in Gallicano Pſalterio, ut & in textu Hebræo, Græcoque non eſſe pronomen *me*: Sed ſimpliciter, *ſalvum fac*, atque in Ambroſiano, *ſalva nunc.* Cyprianus r legit, *ò Domine ſalva igitur*, Sed non audeo dicere cum Agellio, ex inepta prolatione vocabuli *ſalvum*, m ultimæ litteræ protractum eſſe, ſicque extitiſſe *me*. Tunc apud Evangeliſtas *hoſanna filio David*, dictum eſſet ex communi interpretatione, ac ſenſu, quod Meſſias ſit filius David, & ei eadem videatur ſalus optanda, quam olim patri regnum adeunti optaverant: idiotiſmo autem Hebræo *ſalvandi* verbum dativo jungitur pro accuſativo vel retinendo etiam hic *me*, intelligi debet, quod turbæ dicebant *filio David hoſanna*, ideſt, orabat quiſque illum pro ſeipſo, ſalva me obſecro, ut Genebrardus docet, cum Euſebio, Theophylacto, Hieronymo, quaſi diceret, ex te, cui omnia fauſta precor, me pendet ſalus. Sic mulier quædam Regi alteri dixit in extrema neceſſitate, *ſalva me Domine mi Rex.* Quare Valentiæ, Titelmano, Vrlenio acquieſcendum non eſt, *me*, ſu-

a Euſeb. 9. de demonſtr. c. ult.
Vocis hoſanna notio
b epiſt. 145
c in Matt. c. 21
d in Luc. c. 19
e hom. 37
f tract. 51. in Joan.
g in Matt. 21
h Virg. Æneid. 4
i de locis novi teſtam.
k to. 1. ann. ſag. 148
l in Joan. 12. annot. 5
m qu. 50
n homil. 37
o verſ. 1
p verſ. 4.
q Pſ 85. Jer. 31
r lib. 2. c. 16
ſ 4. Reg. 6. 26

A peſſe? Janſenio multo minus, etiam ſenſui obeſſe. Ex recitatis autem opinionibus libentius adhæreſco communiori, non eſſe *hoſanna* vocabulum unum, ſed duo ideſt verbum הושיע *hoſciahh* cum particula נא *na*, quidquid ſit de *hoſanna magno*, quam precationem Hebræi eſſe affirmant, vel de ramis, aut faſciculis ſalicum, quos vocant *hoſannas*, Patres, ac Enarratores omnes acclamationem Chriſto factam ex pſalmo iſto ſumtam aſſerunt, ut præter citatos & eos, qui commentarios ediderunt in Evangelia Euſebius s. Nec veriſimile eſt, eo tempore in uſu fuiſſe nomen illud *Hoſanna*; ſed longè poſtea fortaſſis ex dicto verbo, atque particula conflatum eſſe, ad ſignificandum *ramos*, qui dum geſtarentur in feſto illo ſcenopegiæ, verbum cum particula proferebantur. Nec videntur tamen turbæ ea ſententia acclamantes Chriſto, ramoſque præcidentes, inductæ ad id faciendum, conſuetudine feſti tabernaculorum, in quo feſto agitabatur memoria veteris peregrinationis, non autem ſingularis lætitiæ. Precabantur turbæ Deum, ipſimetque pueri divino profectò inſtinctu edocti, & honore illo afficientes Chriſtum cum lætitia, ei, B quæ in præliis uſitata erat u conſimili, ut hunc Deus novum Regem fortunaret, proſperaret, ſervaret: ad eumdem modum, quo Davide eidem fauſta precatus cecinit x, *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime; ſpecie tua, & pulchritudine tua, intende proſperè procede & regna.* Item, y *Domine, ſalvum fac Regem* Vel ſi cui magis placet, dicente *Filio David, hoſanna* ab ipſomet ſalutem poſtulabant. Propterea enim ſcandalizati Judæi, ac indignati dixerunt ei, z *Audis quid iſti dicunt?* & petierunt ab eo, ut *illos increparet*: a Chriſtus autem approbans, confirmavit ex alio pſalmo b, *Ex ore infantium, & lactantium perfeciſti laudem.* Quanquam reſponderi poſſet Judæos indignè tuliſſe, quod illum etiam ut Regem tractarent, & illi tũm verbis, tùm factis laudarent. Plura præter citatos, ex noſtris Maldonatus, c Berrarius, d Servius, e Roa, f item Joannes Stephanus Durantus, g & hoc loco Richardus Cenomanus.

O Domine, bene proſperare.) Cyprianus h *ò Domine, dirige igitur.* Hieronymus, *obſecro, Domine; proſperare obſecro.* Sic enim אנא *anna*, quod eſt in principio, vertit, & נא *na*, quod in fine. Alii, *obſecro, Domine da* C *obſecro fœlicem ſucceſſum nobis, & regno Davidis.* Græcè, ὦ κύριε εὐόδωσον δὴ. Ubi particula ultima valet aut *nunc*, aut *quæſo*: verbum activè, ac paſſivè ſumi poteſt. Si paſſivè, ut ſonat Latinum verbum, votum eſt, ut Dominus ipſe cujus eſt nomen יהוה *jehovah*, feliciter agat, non in ſe, ſed apud alios, nempe, ut eſt in præcedente membro, *ſalvum faciendo.* In pſalmo 44. i *Proſpere procede, & regna*, Græcè dicitur κατευοδοῦ, Hebraicè duplici verbo צלח רכב *tſelach rechaſ* quod eſt *proſperè aſcendere more equitis*: hìc autem Hebræum verbum הצליחה *hatsliehah*, quod ipſum eſt in pſalmo primo, k *& omnia quæcumque facieo, proſperabuntur*, יצליח *jatsliach*, Græcè κατευοδωθήσεται. Potuerat in hoc noſtro loco prætermitti, *bene*, ſi attendamus Hebræum verbum, ſed innuitur in Græco εὐόδωσον: qua de cauſſa poterat etiam addi in aliis illis pſalmis. Quod tandem parvi momenti eſt. *Eſt proſperitas mala ſtultorum, quæ perdit illos* l de qua conqueritur Jeremias, m *Quare via ſtultorum proſperatur.* Bona eſt pugna, viæ, patriæ, ut Hugo demon- D ſtrat. Ayguanus etiam diſtinguit proſperitatem malorum, bonorum, beatorum.

Benedictus, qui venit in nomine Domini.) Ita etiam Hieron. At in Gallicano Pſalterio, *qui venturus*. Apud aliquos, *qui venturus es*, aut *qui venturus eſt*, ut refert Burgenſis. Hebr. vocabulum cum ſervili littera indicante הבא *habba*, & Græcum ὁ ἐρχόμενος transferri poteſt, *qui venit, qui veniens, qui venturus.* Interpres in Evangeliis antea citatis vertit, *qui venit*: ſed alibi, n *qui venturus es*. Legunt præterea nonnulli, *benedictus eſt*, ut Cyprian. o Eſt autem veluti cognomen Meſſiæ valde tritum, *veniens venturus, expectatus*, ut Ribera p noſter bene oſtendit, & ſatis conſtat ex locis variis utriuſq; Teſtamenti. Euſebius q ſcribit dubitari non poſſe, quin hæc de Chriſto ſint de quo alius Propheta r dixerit, *Adhuc modicum & veniens veniet, & non tardabit*: & qui ſe dixit *veniſſe in nomine Patris ſui*, tametſi *acceptus non ſit*, ſ & quod *ſanctificatum miſit in mundum.* t Non ſolum autem ille *venite in nomine Domini*, quia miſſus eſt à Deo, & in ejus nomine, ac perſona viſitavit populum ipſius, & cum divina poteſtate, virtuteque: verum etiam, quia ipſemet Deus erat, & verè nominari Deus poterat, quippe ex Dei procedens ſubſtan-

s 19. de demonſt. c. ult.
u 1 Machab. 173. 51. tit. 2 10. 7
x Pſ. 44
y Pſ. 19. 10
z Matt. 21. 15. 16
a Luc. 19. 19
b Pſal. 8. 3
c in Matt. 21
d 10. 5. cancor. 17. cap. 5
e in triumpho verit. c. 145
f 2. ſing c. 13.
g 2. de ritib. Eccleſ. c. 31
h lib. 2. c 16
i verſ. 5
k verſ. 3
l Prov. 1. 32
m cap. 12. 1
n Matt. 11. 3
o lib. 2. cap. 5
p in Aba. 26
q 9. de demonſt. c. ult.
r Abac. 2. 3
ſ Joan. 5. 43
t cap. 10. 36

a cap. 11.10 *b cap. 19.38* Argumentũ Cyrilli. *c de fide, ad Reginas.*

ſtantia, ut notat Euthymius. Marcus *a* refert clamaviſſe turbas, *Benedictum quod venit regnum patris noſtri David* Lucas *b*, *Benedictus, qui venit Rex*. Cyrillus Alexandrinus *c* argumentatur, ſi ut hominem ſeorſim, non unito ei Verbo Chriſtum Scriptura dicat veniſſe, commune illi futurum dominationis nomen, ſicut & nobis, & nihil magnum in ipſo: ſi ſicut Dominum, quemadmodum vere eſt, conſequens eſſe, quod unus eſt, ac idem homo, & Deus. Rupertus *d* legens, *qui venturus es*, refert iſta verba ad diem, quem hic ſupra David cecinit feciſſe Dominum, quem etiam interpretatur eſſe ipſummet Chriſtum. Proclus *e* Cyzici Epiſcopus hinc probat incarnationem, ac duplicem Chriſti naturam, ſicut & ex ſequenti verſu. Adventum item in carnem colligit ex hoc eodem loco Athanaſius *f* ad Marcellinum, & ad Antiochum *g*, & ad Theophilum *h*, declarans nomen Patris eſſe in Filio. Obſervat porrò Hieron. *i* apud Eſaiam *k*, non *Dominum* ſed *nomen Domini* poſt multum tempus dici advenire, nimirũ ad innuendum adventum in carnem. Dicitur & quicumque, audita fama, & nomine Domini venit, creditq; in nomine ejus venire: ſicut ſe Gabaonitæ dixerunt *de terra longinqua veniſſe in nomine Domini Dei Joſue* l. Quivis præterea, qui pro Domino præeſt, & ab eo miſſus eſt, non uſurpans officium, cenſeri debet in nomine ipſius venire, & benedictus eſſe. Venit autem *in nomine Domini*, quod nomen eſt *Jeſus* denotans ſalutem, qui venit pure, inquit Hugo, propter ſalutem animarum. Maledictum autem ait eſſe, qui venit in nomine contrario, ut in nomine Baal, ut dominetur, & magnus habeatur, Nabuzardam, qui erat Princeps coquorum, ut ventri ſerviat: mammonæ, ut pecuniam acquirat. Deniq; non miſſus, & quærens quæ ſua ſunt, dici poteſt venire in nomine ſuo. Uſurpat Eccleſia in præfatione poſt triſagium hymnum iſta verba, cum *Hoſanna*, addendo *in excelſis*, tùm ante illa tùm proximè poſt. Videtur preterea uſurpandus à Judæis in fine, quando convertentur; quia Chriſtus dixit *m*: *Non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus, qui venit in nomine Domini*. Quod alii referunt ad judicii tempus, aut ad id, quodquumque ſit, in quo vel volentes, vel nolentes Judæi, ſi non ore, certè mente, ita de Chriſto loquuturi, & exiſtimaturi ſint, quod quum turbæ de eodem dicerent, ægrè tulerant.

e ora. de Nativit. in Con. Eph. 10.6. c.7 *f tr. de interpret. pſal.* *g qu. 136* *h dialog. 2. & 5. de Trinit.* *i in Eſa. c. 30* *k ibid. 1* *l Joſue 9.9* *m Matt. 23.39*

Benediximus vobis de domo Domini.) Chaldaicè *de domo ſanctuarii Domini*. Sed in textu Nebienſis præcedentia verba tribuuntur Iſai, & uxori ejus; hæc ædificatoribus. Alii *n* volunt hos eſſe Sacerdotes, qui verbis iſtis, & proximè præcedentibus exceperint, & Regem, & alios ad tabernaculum Domini venientes, atque hac benedictione ſignificaverint, quanti referat Regis, & proſperitas, quamque conjuncta ſit cum publica, & communi ſalute, atque proſperitate. Sacerdotes, qui Chriſto benedixerint, poſſunt intelligi hi, qui magno numero ſcribuntur initio *obediviſſe fidei o*: item *diſcipulorum actus valde in Jeruſalem numerus*, * ubi templum Dei, erat, quod & tunc frequentabant. Chryſoſtom. aliique volunt eſſe Prophetarum orationem, dicentium ſe, qui de domo Domini ſunt unde revelationem acceperunt, his, qui de domo Domini ſunt, & ad eam invitantur, benedixiſſe, annuntiando myſteria in ſalutem ipſorum, quæ quum *videre cupierint, non viderint p*, ſicut hi, quibus gratulantur. De domo etiam Eccleſiæ benedicunt Sacerdotes noſtri, miniſtrantes Sacramenta, quibus gratia confertur, vel augetur, prædicantes, orantes. Nec præciſus ab Eccleſia benedictionem dare, nec recipere poteſt, ſed uterque debet eſſe *de domo Domini*. Quamquam baptiſmi privilegium eſt maximè neceſſarii, ut quivis eum valeat validè conferre, ſi facere quod Eccleſia facit intendat: poſſunt quoque alia nonnulla Sacramenta ab habentibus poteſtatem validè conferri, etiamſi fortaſſis ab Eccleſia ſint præciſi par excommunicationem, vel aliter, ſemper tamen adhuc *de domo Domini* procedit iſta benedictio quia ſunt Eccleſiæ Sacramenta, & ordinatio, ac poteſtas, collata legitimè in Eccleſia. Qui dicitur Hieronymus accipit verba iſta veluti eorum, qui de cœleſti Jeruſalem parvulos Eccleſiæ benedicant. Videtur Arnobius velle loqui, quamvis numero plurali, (dignitatis fortè cauſſa) illum ipſum *benedictum, qui venit in nomine Domini*, perinde ſcilicet, ac ſi rependat benedictionis vicem: & interpretatur de benedictione *in domo Domini*: quod adhuc explicari poteſt tùm in Eccleſia, prout ante dictum eſt, cum in cœlo, in quod recipientur *benedicti Patris q*.

n Clarius, & Vatabl. *o Act. 6.7* *† ibid.* *p Matt. 13.17* Ab Eccleſia præciſus benedictionē nec dare, nec accipere poteſt. Baptiſmum quibus validè conferre poteſt, ſi facere quod Eccleſia facit intendat *q Matt. 2.15*

Verſ. 27.) Deus Dominus, & illuxit nobis.

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, uſque ad cornu altaris.

Senſus loci.

HI, qui benedixerunt, ſummam benedictionis hanc exprimunt, quod ſuo Deus, ac Dominus favore, atq; benigno vultus aſpectu proſequutus illos fuerit, & veluti radios hilares, atq; ſplendentes effuderit ſuper eos benevolentiæ, ac beneficentiæ ſuæ. Qua de cauſſa eoſdem exhortantur ad celebrandum ſolemniter diem feſtum, ut gratias agant, operates denſis frondibus, ramis, ſertis templum, uſq; ad altare, id circumeundo, geſtantes, quoq; manibus res illas eaſdem. De hoc ritu meminerunt veteres Hebræi: & quodammodo circa Chriſtum ſervatus videtur, quando juxta morem quoque Hebræorum de agno in Paſchate immolando, qui feſtiva ſimili lætitia introducebatur, tamquam victima pro mundi totius peccatis futurus, intravit cum triumpho in Jeruſalem: Quo ipſo tempore acclamatum eidem eſt vocibus præcedentium verſuum. Nec parum faveret ibi recitatæ opinioni *de hoſannis pro ramis*, ſi gravior auctoritas ſuppeteret, ac niſi verba dictorum verſuum apertum ibidem ſenſum redderent, communem, id quod hic præ ſe fert celebritas feſti *in condenſis*. Hæc tamen etiam *condenſa* ſumunt alii vel de frequentibus ſacrificiis, ut Euthymius meminit: vel de frequenti conventu hominum ad feſtum ut plures alii: vel de intricatis funibus circum victimæ caput, frondibus quoque veſtitæ, quæ cum pompa adducebatur. Verum de his commodius in ſeparata partium enucleatione.

Deus Dominus, & illuxit nobis.) Hieron. *apparuit*, quod valet ἐπέφανεν. ויאר *iaor* autem *videre fecit*. Poteſt conjunctio ו *ve &*, cauſaliter exponi, quia illuxit nobis, ideò cognoſcimus Deum, ac Dominum verum. Quod paſſim Catholici prius citati volunt ſpectare ad adventum, incarnationemq; Chriſti: cui conſonant Pauli verba: *apparuit gratia Salvatoris noſtri Dei, & humanitas r*, ut Cyril. *ſ* obſervat. Videri poſt pars quædam ſacerdotalis benedictionis, quæ recitatur in libro Num. *t benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem*. Attribuit tamen Paraphraſt. Chaldæus in textu Nebienſis hæc pſalmi verba tribui Juda, quaſi nempe gratuletur ſibi Davidem, qui de ſua tribuerat, electum in Regem à Deo. Arguit Athanaſius *u* hac ſententia cæcutientes in tanta luce Judæos, neq; confitentes Chriſtum Deum eſſe. Theophilus Alexandrinus *x* eamdem uſurpabat, ut invitaret ad ſolemnitatem Paſchalem, imitatus forſitan Aaronem, qui pridie ſacrificii præconis voce clamavit, *cras ſolemnitas Domini eſt y*. Quo & hic Davidem alluſiſſe Aben-Ezra *z* exiſtimat. Idem Cyrill. hinc etiam confirmat Salvatoris adventu glorioſius abſque ulla comparatione divinum templum apparuiſſe, & poſtquã *illuxit nobis*: Orbem terrarum domibus ſanctis, & adoratoribus innumerabilibus, qui ſpiritualibus ſacrificiis, & odoribus univerſorum Deum venerantur, impletum eſſe.

r Tit. 2.11 *ſ de fide, ad Reginas.* *t cap. 9.29* *u de incarn. & qu. 136* *x epiſt. 1. Paſchali.* *y Exod. 32.5* *z ibid.*

Expoſitio myſtica.

Myſticè qui benedixiſſe dicti ſunt priore verſu *de Domini domo*, prædicando, orãdo, ſacramenta, miniſtrando, dicuntur modo dicere, non ſua id virtute facere, ſed divina: Deo nimirum ſic benedicente per ipſos, atque ipſis illucente per lucem ſcientiæ, ad pellendas ignorantiæ tenebras, & lucem gratiæ adverſus tenebras culpæ. Sed verendum monet Hugo quibuſdam Prælatis, *quibus lumen juſtitiæ non luxit, nec Sol intelligentiæ ortus eſt* a, ne benedictio eorum vertatur in maledictionem, Deuſq; *maledicat benedictionibus ipſorum* b: utpote qui ore benedicentes, corde maledicant *c*. Rupertus *d* Dominum Deum qui illuxit docet eſſe ipſummet diem, de quo mentio præceſſit verſu 24. Quod nonnihil durum videtur. Cajetanus lumen communicatum præſertim à Chriſto poſt reſurrectionem diſcipulis per 40. dies *e*, interpretatur. De Meſſiæ adventu Rabbinos quoque intellexiſſe Galatinus *f* refert.

a Sap. 5.6 *b Mal. 2.2* *c pſ. 61.5* *d in Gen. c. 16* *e Act. 1.4* *f lib. 6. c. 1*

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis.) Hieron. *frequentate ſolemnitatem in frondoſis*, ſed apud Trevetum (obligate ſolemnitatem in frondoſis) ideſt, obligando, inquit, vos facite ſolemnitates. Alii, *ligate feſtum frondibus*, vel *redimite diem feſtum frondibus*, vel *colligate ſub diem feſtum ramos, & templum ornate*, videlicet, quia ſolebat ſic ornari templum, ut nunc apud nos tùm ſparſis ramis frondibuſve, atq; floribus, tùm colligatis in eos, quos vocant feſtiones, qui ad valvas, & parietes appenduntur. Preterea *vincite agnum*, aut *oblationem funibus*. Quia agnus cum tripu-

dio, ac lætitia afferebatur vinctus funibus, frondeque coronatus. Joannes Bochius ad hunc ab Hebræis petitum ritum Juvenalem *a* putat alluſiſſe.

Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia finem.

Quia ut ſcholiaſtes poetæ Joannes Britannicus notat, ferociens mactandus vitulus, qui funibus ducebatur, ducentes anteibat. Dum explanarem ex Actibus Apoſtolorum *b* quod Sacerdos Jovis tauros, & coronas ante januas afferebat, cum populis volens ſacrificare, diſſerui de argumento ipſo toto, ac nominatim de præſenti loco. Malim inde te petere, quam hic me repetere. Prodiit longè poſt eruditum Caroli Paſchalii de coronis opus. Oſtendit, *c* quod ad rem præſentem facit, divinum cultum cum coronis peractum, & quidem quibuſdam ex ramis, vel ita ut geſtarentur hi etiam manibus. Videtur Apollinarius locum hunc noſtrum intellexiſſe de ſacrificantibus, & convenientibus ad feſti celebritatem.

a Satyr. 12 *b cap. 14.12* Divinus cultus cum coronis ex ramis peragebatur. *c lib. 4. c. 12. & ſeq. uſque ad finem lib.*

στέμμασι γηθόμενοι χλοερὴν ξυναγείρατ' ἑορτήν

Coronis læti viridem congregate ſolemnitatem.

Refert Chryſoſt. aliam tranſlationem, quam ſcholiaſtes tribuit Aquilæ, δήσατε ἑορτὴν ἐν πιμελέσι *ligate ſolemnitatem in pinguibus*, nempe victimis; & aliam Symmachi, συνδήσατε ἐν πανηγύρει πυκάσματα, *colligate in celebri conventu denſitates*. LXX. vero verterunt συστήσασθε ἑορτὴν ἐν τοῖς πυκάζουσι. Idem autem ſcholiaſtes exponit σκιάζουσι, καλύπτουσι, κοσμοῦσι, *obumbrantibus, tegentibus, ornantibus*. In textu Hebræo primum vocabulum אִסְרוּ *iſſeru* propriè ſignificat, *ligate*; & præterea *accingere ſe ad aliquid, comparare ſe, inſtruere, inire*, ut, *quis d incipiet præliari? ſeu quis aggredietur*, aut *inibit*, aut *ordinabit prælium?* מי יאסר המלחמה *mi jeſor hammilochamah*. Quo etiam pacto poſſet hujus loci ſenſus eſſe, ordinate feſtum, vel agnum, aliamve victimam: comparate, ſive præparate, accingite vos ad opus illud, &c. Secundum eſt חג *chag*, quod ſemper exponi ſolet *ſolemnitas*, aut *feſtum*, quamvis Hebræi nonnumquam explicent *agnum pecus, oblationem*, aut quid ſimile. Primam notionem ſecuti ſunt Interpres Græci, ac Latini: *ligare* autem *feſtum*, erit idem, quod *conſtituere*, ideſt, præparare ad feſti celebritatem ea quæ ultimo loco dicuntur *condenſa*, ſive de frondibus intelligatur, ſive figurate de frequenti hominum cœtu: alia namq; notio funium non videtur aptari poſſe, niſi victimæ, quæ eſt acceptio altera חג *chag*. Ultimum cum littera ſervili בעבתים *babhavothim* valet vel *in funibus complicatis, conſtipatis, condenſatis, perplexiſque, ac ſeſe invicem complectentibus*: quales interdum jugi loco adhibentur, ut pſal. 2. *e projiciamus à nobis jugum ipſorum* עבותימו *hhavothemo*. Hieron. *laqueos ipſorum*: aut *frondes pariter intricatas, condenſas, complicatas*. Quam acceptionem tradidit hoc loco idem Hieron. & Suidas ait πυκασμὸν idem eſſe, ac δασύτητα, Heſychius γεννήματος *denſitatem germinis*, ſive plantæ. Dicunt Latini *condenſam arboribus vallem, condenſam arborem, condenſam aciem, turmamque, condenſas columbas*, &c. Quo circa hic etiam *conſtituere diem ſolemnem in condenſis*, præter amorum, & frondium ornamentum, qui videtur maximè litteralis ſenſus, de quo etiam Villalpandus noſter, *f* & competit maximè ingreſſui triumphali Chriſti in Jeruſalem; poſſet ſignificare in conferta, frequentiq; hominum multitudine, ut multi, ac frequentes conveniant, & impleant plateas, templumque uſque ad ipſum altare. Nec repugnarem accipienti de victimis, ut eas etiam *condenſas*, ideſt, plurimas adducant. Qui ſenſus placuit quoq; noſtro Salmeroni. *g Vias Sion luxiſſe* luxit Jeremias, *h eo quod non eſſent qui venirent ad ſolemnitatem*. Verbum Græcum LXX. συστήσασθε *ordine quid facere, coire, cœtum habere, congregari* quandoq; ſignificat: item *comparare, aggredi*, & ſimilia, quæ propoſito apta congruunt: non ita vero quæ alii poſuerunt δήσατε, aut συνδήσατε. Frequentiam autem cœtus inſinuat tranſlatio alia latina Romani, veteriſq; Pſalterii, *in confrequentationibus*, qua utuntur etiam Caſſiod. Proſper (etſi *frequentationibus* legatur apud illum) Auguſtin. Arnobius, Gregorius. *i* Nihilominus victimarum quoq; multitudini non adverſatur. Rickelius recitat aliam tranſlationem, *in congregationibus*. Quod attinet ad condenſa, eadem vox in alio pſalmo *k* habetur, *& revelabit condenſa*, ſed aliæ ſunt Hebraicè, & Grecè יערות *jabharoth*, & δρυμοὺς. Idem epithetum alibi aſſignatur quercui, *l* ſaltui, *m* frondibus. *n* Paraphraſtes Chaldæus vertit, *ligate puerum*, vel (*juniorem*) *ad ſacrificium ſolemnitatis, catenis: donec ſacrificaveritis eum*, aut, *ſacrificemus, & effuderitis*, aut (*effundite*) *ſanguinem in cornua altaris*, vel (*ſanguinem ipſius in cornibus altaris, dixit Samuel Propheta*:) Ex textu Nebienſis ſunt parentheſi incluſa, & ultima quidem innuunt ſacrificium pro Davidis in Regem electione. Per *puerum* vero, & *juniorem* accipiunt aliqui agnum, aut etiam vitulum. Nomen *pueri* non niſi impropriè dici poteſt de bruto: de homine autem non eſſet ad rem: niſi diceres indicari ſacrificium Chriſti juvenis. Vocem Chaldæam טליא *talia*, negat Genebrardus aliud ſignificare, quam *agnum*, ſicut Hebræum טלה *taleh*. Qua in re ipſi adverſatur Pagninus in Enchiridio expoſitionis *Haruch, Thargum*, &c. afferens exemplum ex Proverbiis, *o* immò nullum affert pro agno.

d 3. Reg. 20.14 *e verſ. 3* *f tom. 2. in Ezech. par. 2 lib. 5. diſp. 2. cap. 35* *g to. 3. tr. 19* *h Thren. 1.4* *i 9. mor. c. 17 vel 21* *k pſal. 28.9* *l 2. Reg. 18.9* *m Eſa. 10.34* *n Ezech. 31.3* *o cap. 30.19*

Senſus Myſticus.

Myſticè Auguſt. Proſper, & alii, legendo *confrequentationes* explicant invitari nos, ut non tepidè, ac ſegniter ſed in frequentatione curramus uſque ad interiorem domum Dei, de qua benedicimur: ubi ſunt altaris excelſa ſpirituale ſacrificium laudis perpetuæ, Sacerdos æternus altare ſempiternum, ut de Filio Dei, qui propter nos caro factus eſt, & non jam humiliter ſecundùm carnem, qua conformis nobis eſſe dignatus eſt, ſed ſublimiter ſecundùm divinitatem, qua Patri æqualis eſt, ſentiamus. Greg. *p* ſcribit quod *ſolemnem Domino diem in confrequentationibus conſtituit* quiſquis ſe aſſiduè in ejus deſiderio affligit: ut ſolemnitatis vero dies uſq; ad altaris cornu tendat præcipi, quia tamdiu neceſſe eſt, ut quiſq; ſe afficiat, quouſq; ad ſuperni ſacrificii altitudinem, ideſt, ad æterna gaudia pertingat. Rupertus *q* moneri nos dicit vacare à ſervili opere peccati, contemplando *in condenſis*, ideſt, multiplicate bonorum operum, hunc diem, hoc eſt Chriſtum, eſſe principem altaris, qui quum ſit Deus, & Dominus, rectè debeat adorari. Simile eſt quod ait Bruno, ut firmiter ſtatuamus vitam noſtram ſimilem diei ſolemni, ceſſando ab omni peccatorum ſervitute, & perſiſtamus *in condenſis* multiplicis ſacrificii virtutum, bonorumque operum, donec pertingamus uſq; ad cornu ſublimis contemplationis de divinitate Chriſti, qui eſt altare noſtrum, ſicut & deitas ipſa mentis noſtræ, quia elevat eam ſicut cornu, & defendit. Is quem vocant Hieron. ut exhibeamus nos templa, & aras Deo, in quibus & ſacras cælebremus ſolemnitates, in virtutibus multis, in quibus vel ipſe Dominus, vel ejus Angeli frequentantur, uſq; ad ipſum Dominum qui eſt cornu, nempe fortitudo animæ, quam ejus altare fecerimus. Arnobius, ut conſtituamus diem Dominicam (de qua nimirum dictum prius, quod *eam fecit Dominus* &c. & in ea dicamus quod ſequitur, *Deus meus es tu*, &c.) Caſſiod. ut benedicti à Domino de liberata ſententia cuſtodiant in honore Domini, & Sanctorum confeſſione, [ideſt, martyrum, qui diu ſoli in Eccleſia feſtivè celebrata ſunt] ſacratum diem, in confrequentationibus crebrarum proceſſionum, quas populi turba condenſat, & reddit celeberrimas devotione feſtiva: *uſque ad cornu altaris*, ubi Corpus, & Sanguis Domini ſolemni nobis frequentatione largitur, [id attingit & Haimo] à quorum participatione, atq; etiam celebratione aliqui audita Evangelii lectione diſcedere juſſi perhibentur: *cornu* demum poteſtatem ſignificare, quam ſanctum illud altare habeat. Ubi Caſſiod. indicat varios ritus, & dogmata de proceſſionibus, de quibus opus integrum Gretſerus noſter edidit, de ſacrificio corporis, & ſanguinis Chriſti, de Miſſa catechumenorum. Hugo præter allatos ſenſus addit, ut celebrentur feſta Nativitatis Chriſti, paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis, & alias (id quoq; Lyranus, & Rickelius tradunt) & ut *in condenſis*; ideſt, denſe, crebroque quas vocat tranſlatio alia confrequentationes, conveniatur: & ut percipiatur in altari Sacramentum Euchariſtiæ cum re, ac effectu ipſius. Præterea *diem ſolemnem* ſumit pro pœnitentia, quam vocat etiam Paſcha, quia per illam tranſimus de vitiis ad virtutes, *affligendo animas noſtras*: *r* conſtitui hoc feſtum ab eo, qui firmiter, ac ſtabiliter illam obſervat: *in condenſis* faciendo fructus bonorum operum *dignos pœnitentiæ ſ* ſicut condenſa, multaq; fuerunt peccata: *uſque ad cornu altaris*, ut attolat mentem pœnitentia ad regnum cœlorum, quod *agentibus pœnitentiam appropinquat*, *t* Poſtremò appellat *diem ſolemnem* diem mortis, vel judicii, ſicut dies Petri dicitur is, quo mortuus eſt: hunc eſſe celebrandum, ideſt, animo infigendum, *in condenſis*, hoc eſt, in frequentiſſimis cogitationibus edendo etiam, ac bibendo, & quidvis aliud faciendo, Hier. exemplo: *uſq; ad cornu altaris*, ideſt, quouſq; perveniamus ad illud ſublime altare, cœleſteq; ſacrificium: ubi divino igne in holocauſtum ſuccendamur, & *introeuntem lætificetur juventus*. *u* Inter omnes ſolemnitates convenit po-

p 9. moral. c. 15. vel 21 *q 2. in Gen. cap. 16* *r Num. 29.7* *ſ Matth. 3.8* *t cap. 4.17* *u pſalm. 42.4*

tiſſimum

tiſſimum hujus loci ſententia ſolemnitati corporis Chriſti, in qua frequentiſſimi procedunt, & complentur plateę templaque frondibus, ramis, floribus uſque ad ipſa altaria quibus adoranda exponitur Euchariſtia, in qua victima juxta tranſlationem aliam, ligata eſt *funiculis Adam, & dilectionis a*, ideſt, ſub ſpeciebus continetur, nimirum Chriſtus, quem poſſet etiam denotare in tranſlatione Chaldęa *puer*, aut *junior* ligatus propter vim ſummi amoris: & communicans maximum robur Eccleſiæ ſuæ, tamquam cornui altaris adhærens, atque omnium bonorum copiam, velut ex cornucopia, & largiens eximiam dignitatem, honoremque, cujus cornu ſymbolum eſt, ſicut aliarum duarum rerum. In vetere Teſtamento majus erat altare, quam donum, quod ab eo ſanctificabatur *b*: in noſtro ſecus contingit, quia multo præſtantior eſt hoſtia, quæ altare ipſum ſanctificat & alios replet ſanctitate.

a Oſea 11. 4

Cornu ſymbolum honoris, & dignitatis.

In vetere Teſtamento hoſtiam altare in novo vero hoſtia altare ſanctificat.

Uſque ad cornu altaris.) Hier. *cornua*, ex Hebræo numeri pluralis ejuſdem, קרנות *Karnoth*: in quo etiam numero eſt Græcum τῶν κεράτων. tant altaris apud Hebræos cornua quatuor per quatuor angulos, ut colliguntur ex utroque Teſtamento *c*, quæ ſanguine victimæ illinebantur, & deſignabant, Auctore, Cyrillo Alexandrino *d*, vel potius Heſychio, quatuor Evangeliis velatam Chriſti paſſionem. Exiſtimat noſter Villalpandus *e* quatuor taurorum cornua è quatuor angulis altaris Salomonici ſurſum erecta fuiſſe, altitudine cubiti unius, quaſi à taurino capite naſcentia: id velle Amos *f*, *Amputabuntur cornua altaris*, (in Bethel, quod Salomonici altaris æmulabatur formam) *& cadens in terram*: quia videlicet non erant anguli de corpore ipſius altaris, ſed aliquid ſupereminens: prætecea, quoniam Ezechiel *g* diſtinguit cornua quatuor ab angulis totidem. Idem ſequitur ex verbis Judith *h* Deo loquentis de hoſtibus, qui promittebant *ſe dejicere gladio cornu altaris ejus*. Ait etiam, quod referebat leonem pedibus, vitulum cornibus, ut imaginem Cherubim ex parte præ ſe ferret: vel vitulorum cornua geſtaſſe quaſi trophæa factæ prædæ, eo quod in feſtis ſolemnioribus tauri, & juvenci Deo mactari conſueverant, & arieli, [quo nomine *altare* appellatur, & leonem Dei ſignificat] ſeu leoni ſacro projici devorandi; inde veteres architectos accepiſſe, ut frontes ædium ſacrarum craniis taurorum exornarent, quaſi ſacrificiorum trophæis, & inſignibus, item ut in aris pedes, ac ungues leoninos effingerent. Genebrardus quoque hoc loco ſentit cornua non fuiſſe propriè angulos, ſed quædam capitella in modum cornuum in altum porrecta in ipſius altaris angulis, ex ipſiuſmet altaris materie projecta ſive ad decorum, ſive ad myſterium: Sacerdotem enim precantem illis innixum eſſe, vel manus ſuper illa extendiſſe, aliquando ſanguine victimarum inunxiſſe, atque purificaſſe. In Exodo *i* præſcribitur conſtructio altaris thymiamatis, cum cornibus ex ipſo procedentibus. De altari holocauſti videtur hoc loco agi. Colligere autem nonnullos hinc, ait idem Genebrardus, à Sacerdote ipſo victimam ad trium adductam primum alligatam, deinde ſolutam in atrii certa parte mactatam. De myſtica cornuum ſignificatione dictum alibi, ac paullo ante ſatis.

b Mat. 23. 19

Altaris quatuor cornua apud Hebræos in quatuor angulis.

c Lev. 4. 7. 9
3. Reg. 1. 51
Apocal. 9. 15
d 5. in Lev.
e tom. 2. in Ezec. p. 2. l. 4 c. 48. 49. 77
f cap. 3. 14
g cap. 43. 20
h cap. 9. 11.

Cauſſa cur veteres architecti ædium ſacrarum frontes taurorum craniis ornarent, & in aris leoninos ungues effingerent.

i cap. 30. 2

Verſ. 28.] Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.

Senſus loci.

VIdentur invitari ad feſti celebritatem, poſtquam advenerunt, ſic reſpondere quilibet pro ſeipſo, ſumma cum alacritate, atque laudandi Deum voluntate. Vel ipſemet David gratias maximas agens Deo, quod in ſe de hoſtibus liberando, eoſdemque ulciſcendo, prout precatus fuerat, ſingularem benignitatem, atque potentiam oſtenderit. Chryſoſtomus, Euthymius, Baſilii nomen gerens, omittendo poſteriorem partem verſus, cum multis aliis, de quibus poſtea, docent in Priore oſtendi, Deo gratias agendas, propter ſeipſum, etiamſi nullum conferret beneficium. Videtur difficile quo pacto gratiæ ſic agi poſſint. Et tamen canimus, gratias nos agere Deo propter magnam gloriam ipſius. Diceret quis hoc ipſum magni beneficii loco habendum, quod gloriam ſuam dignetur Deus nobis innoteſcere. Thomæ Apoſtolo Rickelius applicat iſtam ſententiam, confiteri poſt reſurrectionem Chriſti, *Dominum illum ſuum, & Deum ſuum k*. Idem Chryſoſtomus *l* alibi conſiderat excellentiam amoris, & eminentiam gratitudinis, ut ſuum David agnoſcat, & pronuntiet Deum, qui omnium eſt, quemadmodum Paulus *m* dicebat, *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Prophetis mos eſt, ſubdit ille, facere, & dicere, *Deus, Deus meus*, quamvis totius Orbis ſit Dominus: ſed peculiare hoc eſt amori, ut ex communibus propria faciat. Ait præterea, quod ſic loquens amorem ſuum ſolatur, ſciens parem ſe gratiarum actionem exhibere non poſſe, tam divitem erga nos charitatem declaranti, etiam animam ipſam impendat pro ſuis legibus. Notavimus & nos hoc alias.

k Joa. 20. 28
l hom. 34. in 2. ad Cor.
m Gal. 2. 20

Amor ex communibus propria facit.

Deus meus es tu, & confitebor tibi.] Additum eſt verbum ſubſtantivum, quod non habet Hebræus textus, ut nec in ſequenti membro: ubi etiam Hieronymus non ponit: ſed tum in iſto. Includit *Deus meus es tu*, quidquid quis in Deo contemplari poteſt, ac ad ſe ipſum referre, non ſolum creationem in prima voce, redemtionem in ſecunda, excluſionem numinis externi, in ſequentibus duabus, ut notavit Hugo. Nec propriè *confiteri Domino* pertinet ad confeſſionem peccatorum, quemadmodum Arnobio videtur, qui etiam poſt gemitum talis confeſſionis, indicari vult membro ſequenti exultationem de indulgentia: quaſi legerit *exultabo*, non *exaltabo*. Confeſſio laudis, & gratiarum actionis hic eſt in pſalmo toto, ut non ſemel monui. Sed qui dicitur Hieron. hanc acceptionem recipiens, docet pro remiſſione peccatorum offerri hujuſmodi confeſſionem laudum divinarum.

Deus meus es tu, & exaltabo te.) Modo dixi legi debere *exaltabo*, non *exultabo*: eſt enim ארוממך *aromemecha*. & ὑψώσω: Hieron. quoque non repetere verbum ſubſtantivum: ut nec apponit conjunctionem, quæ Hebraicè non eſt, ſaltem in editione Bibliorum regiorum: exprimunt enim Trevetus, Faber, Victorius. Quo pacto exaltari Deus poſſit à nobis, ſæpè dictum eſt. Hugo ſignificari vult portandum Deum in corpore noſtro, & ſuperponendum omnibus terrenis in corde noſtro.

Confitebor tibi, quoniam, &c.) Continentur hæc omnia in verſu 21. Hebraicè autem deſunt, & Chaldaicè: nec videntur legi ab Enarratoribus Græcis, quos antea nominavi, Chryſoſtomo, Baſilio putato, Euthymio: præterea nec ab Euſebio, atque Theodoreto. Non etiam ponuntur à LXX. in hexaplis, neque in tetraſeleido, ut refert ſcholion Græcum, aut apud alium ex Interpretibus Græcis. Nihilominus Sixtina editio Græca LXX. retinet, & Apollinarius exprimit ſic, quemadmodum & prius,

ἄφθιτε κυδαίνω σε, ἐμῆς ὅτι σεῦ θέο φωνῆς
καί μοι ἀλεξίκακον κατεφαίνεο φέγγος ἑτοῖμον
Incorruptè glorifico te, meam quia audiſti vocem;
Et mihi ſalvare exhibuiſti lumen paratum,

Prius erat πρυθαίνεο: hic κατεφαίνεο. Non eſt audiendus Nebienſis, jubens obelo confodi. Plus auctoritatis habet approbatio Eccleſiæ, quam textus Hebræus, & Chaldæus & non inſolens LXX. interpretibus aliquid addere, vel repetere: fatetur etiam extare in editione Arabica.

Verſ. 29.] Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Senſus loci.

TErminatur eodem verſu pſalmus, quo inchoatus eſt atque per eum alios Propheta invitat, nec contentus à ſe uno ſacrificium laudis offerri. Oſtendit quidquid agat vir juſtus, à Dei debere laude incipere, ac in eadem deſinere: præterea, ſi de confeſſione peccatorum interpretemur cum Hugone, ſe & in principio bonæ vitæ, & in fine confiteri peccatorum, *ſervumque inutilem n*. Arnobius ait quaſi hortationem eſſe ad ſodales, ut ſicut ipſi indultum eſt confitenti, & illis confitentibus dimittatur. Ex ſcholio Græco refert collector notationum ad biblia Græca Sixtina neque in tetraſeleido, neque in libro Euſebii, neque apud ullum Interpretum iſtum cum priore poſitum verſum: item ex alio, quod ſit in Hebræo, & magnam vim habeat, ut Patres oſtendunt.

n Luc. 17. 10

PSAL-

PSALMUS
CENTESIMUS DECIMUS OCTAVUS.

Alleluja.

ALEPH.

1. BEati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.
2. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.
3. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.
4. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.
5. Utinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.
6. Tunc non confundar, quum reſpexero in omnibus mandatis tuis.
7. Confitebor tibi in directione cordis in eo quod didici judicia juſtitiæ tuæ.
8. Juſtificationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas uſquequaque.

BETH.

9. In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.
10. In toto corde meo exquiſivi te: ne repellas me à mandatis tuis.
11. In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.
12. Benedictus es Domine, doce me juſtificationes tuas.
13. In labiis meis, pronuntiavi omnia judicia oris tui.
14. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ſicut in omnibus divitiis.
15. In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas.
16. In juſtificationibus tuis meditabor, non obliviſcar ſermones tuos.

GIMEL.

17. Retribue ſervo tuo, vivifica me, & cuſtodiam ſermones tuos.
18. Revela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua.
19. Incola ego ſum in terra, non abſcondas à me mandata tua.
20. Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas, in omni tempore.
21. Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.
22. Aufer à me opprobrium, & contemtum: quia teſtimonia tua exquiſivi.
23. Etenim ſederunt Principes, & adverſum me loquebantur: ſervus autem tuus exercebatur in juſtificationibus tuis.
24. Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: & conſilium meum juſtificationes tuæ.

DALETH.

25. Adhæſit pavimento anima mea: vivifica me ſecundùm verbum tuum.
26. Vias meas enuntiavi, & exaudiſti me, doce me juſtificationes tuas.
27. Viam juſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.
28. Dormitavit anima mea præ tædio confirma me in verbis tuis.
29. Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miſerere mei.
30. Viam veritatis elegi, judicia tua non ſum oblitus.
31. Adhæſi teſtimoniis tuis Domine, noli me confundere.
32. Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilataſti cor meum.

HE.

33. Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum: & exquiram eam ſemper.
34. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam illam in toto corde meo.
35. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.
36. Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam.
37. Averte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua vivifica me.
38. Statue ſervo tuo eloquium tuum, in timore tuo.
39. Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum, quia judicia tua jucunda.
40. Ecce concupivi mandata tua, in æquitate tua vivifica me.

VAU.

41. Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundùm eloquium tuum.
42. Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperavi in ſermonibus tuis.
43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis uſquequaque: quia in judiciis tuis ſuperſperavi.
44. Et cuſtodiam legem tuam ſemper: in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.
45. Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſivi.
46. Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum: & non confundebar.
47. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.
48. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in juſtificationibus tuis.

ZAIN.

49. Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.
50. Hæc me conſolata eſt in humanitate mea quia eloquium tuum vivificavit me.
51. Superbi iniquè agebant uſquequaque: à lege autem tua non declinavi.
52. Memor fui judiciorum tuorum à ſæculo Domine: & conſolatus ſum.
53. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
54. Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.
55. Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodivi legem tuam.
56. Hæc facta eſt mihi: quia juſtificationes tuas exquiſivi.

HETH.

57. Portio mea Domine, dixi, cuſtodire legem tuam.
58. Deprecatus ſum faciem tuam: in toto corde meo: miſerere mei ſecundùm eloquium tuum.
59. Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua.

60. Pa-